BRÜDER GRIMM

ERAT OLIM

DIE 12 SCHÖNSTEN MÄRCHEN AUF LATEINISCH



RECLAM

1 De Cinerella apologus

Uxor viri divitis in morbum incidit. Moritura, filiolam ad lectum vocavit et ei dixit: »Cara filia, si proba et pia manebis, Deus bonus semper tibi aderit. Ego de caelo despiciam teque protegam.« Quo dicto oculos operuit et animam exspiravit. Puella cottidie sepulcrum matris adibat et flebat et proba et pia manebat. Postquam sol vernus sepulcrum nivibus hiemis veste alba contectum spoliavit, vir iterum feminam matrimonio sibi iunxit.

Femina duas filias secum in matrimonium duxit, quarum cutis candida, quarum corda autem improba et pernigra erant. Cinerella in futurum dirum prospiciebat. Cui sorores ex noverca susceptae: »Num vacca stulta una cum nobis in eadem domo habitabit!? Panem edere vult, sed panem ei labore parari oportet – eiciamus servam culinariam!« Bellas vestes ei dempserunt, amiculum linteum canum ei induerunt, pedibus eius soleas ligneas adaptaverunt. Tum: »Aspicite bellam regiam virginem exornatam!« sorores ex noverca susceptae clamaverunt. Deinde puellam derisam in culinam duxerunt. Cui a mane usque ad vesperum labores molesti suscipiendi erant: Oportebat, ut bene mane surgeret, aquam ferret, ignem faceret atque aleret, cibos coqueret, lintea lavaret. Praeterea sorores quidquid aegritudinis, quam afferre ei possent, afferebant, miserandam illudebant, pisa et lentes in cinerem iniciebant, ut misera legumina colligeret. Vesperi lassitudine confecta lecto privata est et iuxta focum in cinere cubare debebat. Cum speciem pulveream et sordidam praeberet, »Cinerella« appellabatur.

Quondam accidit, ut pater mercatum appetiturus esset. E privignis quaesivit, quae dona sibi afferri vellent. »Bella

vestimenta« prima, »margaritae et gemmae« secunda dixit. »At tu, Cinerella, quid vis tibi afferam?« – »Pater, primum ramulum, quem domum revertens petaso tanges, mihi quaeso defringe.« Sororibus ex noverca susceptis igitur bella vestimenta, margaritas, gemmas emit rediensque, cum equo per dumetum virens veheretur, coryli ramulus eum tetigit petasumque eius a capite destrinxit. Ramulum defregit et secum duxit. Domum reversus privignis, quae optaverant, Cinerellaeque coryli ramum donavit. Cui gratiis actis Cinerella ad sepulcrum matris iit, ramum sevit, lacrimis profudit, quibus sarmen aspersit. Quod sarmen crevit bellaque arbuscula ex eo facta est. Quam Cinerella ter cottidie appetebat. Flebat atque orabat et numquam non avicula alba ad arbusculam volabat. Quotienscumque Cinerella dicebat, quae optaret, avicula optata de arbuscula ei deiciebat.

Nunc factum est, ut rex diem festum triduanum institueret, ad quem omnes bellae virgines in regno habitantes invitatae erant, ut filius eius sponsam sibi eligeret. Sorores ex noverca susceptae ex invitatione magnam laetitiam ceperunt. Cinerellam advocaverunt. Cui »Pecte comam nostram«, inquiunt, »calceos purga, fibulas firma. Diem festum in domo regia enim celebrabimus.« Cinerella dicto sororum audivit, flevit autem, quod etiam libenti animo saltatum isset. Novercam rogavit, ut et ipsa veniam saltatum eundi acciperet. Sed illa: »Cinerella«, inquit, »re verane pulvere sordibusque sparsa nuptiis interesse vis? Nec habes vestimenta nec calceos ad saltandum idoneos.« Cum autem implorare non desisteret, noverca postremo dixit: »Lancem lentium in cinerem infudi. Si lentes intra duas horas elegeris, tibi una nobiscum venire licebit.« Puella per posticum

in hortum iit et clamavit: »Venite, columbellae placidae, turtures, omnes aviculae caelum incolentes, adiuvate me ad lentes separandas et iniciendas:

in patinam bonas
in iugulum malas.«

Primum duae columbulae albae, tum turtures per fenestram in culinam volaverunt, deinde omnes caeli aviculae stridorem edentes involaverunt et circum cinerem consederunt. Columbulae capitula demiserunt et – pic pic pic – laborare coeperunt. Tum et ceterae – pic pic pic – ad opus aggressae sunt et bona granula electa in patinam immiserunt. Vix hora transierat, cum labore acto omnes rursus avolaverunt. Puella perlaeta novercae patinam apportavit spe ducta se nunc cum sororibus nuptiis interesse posse. Haec autem: »Minime vero, Cinerella«, inquit, »non habes vestimenta saltandique imperita es: Omnes ludibrio te habebunt.« Cinerella cum lacrimas effunderet, noverca: »Si inter horam«, inquit, »duas patinas lentium e cinere elegeris, tibi nos comitari licebit.« Secum cogitabat: »Hoc numquam terrarum fieri potest.« Postquam noverca duas patinas lentium in cinerem infudit, puella per posticum in hortum cucurrit et clamavit: »Venite, columbellae placidae, turtures, omnes avicellae caelum incolentes, adiuvate me ad lentes separandas et iniciendas:

in patinam bonas
in iugulum malas.«

Primum duae columbulae albae, tum turtures per fenestram in culinam volaverunt, deinde omnes caeli aviculae stridorem edentes involaverunt et circum cinerem consederunt. Columbulae capitula demiserunt et – pic pic pic – laborare coeperunt. Tum et ceterae – pic pic pic – ad

opus aggressae sunt et bona granula electa in patinas immiserunt. Nulla semi-hora temere intercessit, cum labore acto omnes rursus avolaverunt. Puella perlaeta novercae patinas apportavit spe ducta se nunc cum sororibus nuptiis interesse posse. Haec autem: »Nihil proficies«, inquit, »nobiscum venire non potes, quia vestimenta non habes et saltandi imperita es: nos tui puderet.« His verbis tergum ei obvertit et cum suis filiis superbis se proripuit.

Cum sola domi erat, Cinerella ad sepulcrum matris sub corylo situm iit et dixit:

»Arbuscula, amabo te,
aurea veste orna me.«

Avicula vestem auream et argenteam et calceos bombyce argentoque distinctos ei de corylo deiecit. Raptim vestem sibi induit et saltatum iit. Sorores et noverca autem eam non recognoscebant. Putabant hanc puellam bellissimam veste aurea ornatam reginam exteram neque Cinerellam esse. Quam domi in culina sordida sedere lentesque e cinere excipere opinione ducebantur. Regis filius Cinerellam petivit, manu duxit, ad saltandum invitavit. Aut cum ea, quam continuo manu tenebat, aut cum nulla saltare cupiebat. Omnibus eam ad choream dandam invitaturis dixit: »Haec mecum tantum saltabit.«

Usque ad vesperum saltavit. Cum domum capesseret, rex ei dixit: »Tecum ibo, te comitabor.« Percontari enim quis esset voluit. Haec autem effugit et columbarium appetivit. Regis filius exspectavit dum pater eius venerit. Cui dixit puellam ignotam in columbarium intravisse. Vetulus secum: »Fieri potest, ut de Cinerella agatur.« Ascia et dolabra columbarium destruxit – nemo autem in eo inerat. Cum in casam intrarent, Cinerellam veste sordida indutam in cinere

sedentem lucernulamque modice in fumario lucentem viderunt. Cinerella cito e postico columbarii exsiluerat, corylum appetiverat, bellam vestem sibi exuerat, in sepulcro matris deposuerat. Veste ab ave amota in cinere amiculo linteo cano vestita consederat.

Postridie, cum sollemnia de integro inciperent, parentibus sororibusque absentibus, Cinerella ad corylum cucurrit et dixit:

»Arbuscula, amabo te,
aurea veste orna me.«

Avis vestem multo superbiorem deiecit quam illam diei superioris. Cum hac veste induta ad sollemnia appareret, omnes pulchritudinem eius mirati sunt. Regis filius autem, qui adventum eius exspectaverat, cito manu eam duxit et unice saltavit cum ea. Omnibus bellam puellam ad choream dandam invitaturis dixit: »Haec mecum tantum saltat.« Cum vesperasceret, Cinerella aufugit. Regis filius eam secutus est, ut videret quam casam appeteret, sed anguilla citior elapsa est et in hortum post casam evanuit. Quo in horto magna arbor erat, quae pulcherrima pira ferebat. In ramos eius ascendit perniciter ut sciurus, et regis filius nesciebat, quo aufugisset. Exspectavit dum pater eius venerit. Cui: »Puella ignota aufugit«, inquit. »Puto eam in pirum insiluisse.« Pater secum: »Fieri potest, ut de Cinerella agatur.« Ascia et dolabra arborem cecidit, sed nemo in illa sedebat. Cum in culinam intrarent, Cinerellam veste sordida ut semper indutam in cinere iacentem viderunt. De parte postica arboris desiluerat, vestem bellam avi in corylo sedenti rettulerat, amiculum linteum canum rursus sibi induerat.

Tertio die parentibus sororibusque absentibus Cinerella iterum sepulcrum matris appetivit arbusculaeque dixit:

»Arbuscula, amabo te,
aurea veste orna me.«

Avis vestem ei deiecit – splendidiorem et lucidiorem numquam antea habuerat. Et calcei omnino auri colore erant. Cum hac veste induta ad sollemnia matrimonialia appareret, omnes admiratione affectos lingua defecit. Regis filius cum ea tantum saltavit. Si quis ad saltandum eam invitavit, dixit: »Haec mecum tantum saltat.«

Cum vesperasceret, regis filius Cinerellam aufugientem domum comitari voluit. Quae autem tam cito elapsa est, ut eam cursu sequi non posset. Regis filius callidus autem scalis picem induci iusserat. Cum puella deorsum curreret, calceus sinister haesit. Regis filius calceolum aureum, qui erat lautus et concinnus, sublevavit. Postridie virum adiit, cui dixit: »Nullam aliam in matrimonium collocabo nisi eam, cuius pes huic calceo aptus sit.« Cum haec audirent, sorores exsultaverunt, nam pedes pulchros habebant. Maxima natu matre adstante ad calceum sumendum cubiculum appetivit. Sed calceus nimis parvus erat, pollicem pedis non capiebat. Mater filiae cultrum porrexit et dixit: »Fac pollicem amputes! Cum regina facta eris pedibus ire noniam debebis.« Puella sibi pollicem abscidit, pedem in calceum vi immisit, dolorem suppressit, regis filium ad fores stantem adiit. Qui cum marita futura abequitavit. Cum equo sepulcrum praeterveherentur, duae columbellae in corylo sedentes clamaverunt:

»Gu-gurru-gu, gu-gurru-go,
cruor inest in calceo.
Qui certe non est feminae
pede tam magno praeditae.«

Cum oculos in pedem eius coniceret, regis filius sangui-

nem ex eo effluentem conspexit. Equum circumegit et falsam maritam domum reduxit. Hanc non rectam esse dixit. Tum alteram sororem calceum sumere rogavit. Quae ad eum sumendum cubiculum appetivit. Calceus pollices capiebat, sed calx nimis magna erat. Mater filiae cultrum porrexit et dixit: »Partem calcis abscide! Cum regina facta eris pedibus ire noniam debebis.« Puella partem calcis abscidit, pedem in calceum vi immisit, dolorem suppressit, regis filium ad fores stantem adiit. Qui cum marita futura abequitavit. Cum equo sepulcrum praeterveherentur, duae columbellae in corylo sedentes clamaverunt:

»Gu-gurru-gu, gu-gurru-go,
cruor inest in calceo!
Qui certe non est feminae
pede tam magno praeditae.«

Regis filius oculos in pedem coniecit, cruorem ex eo effluentem tibialiaque alba rubefientia vidit. Equum circumegit et falsam maritam domum reduxit. »Neque haec recta est«, dixit. »Nonne tertiam filiam habes?« – »Nihil sane«, vir dixit, »parvam tantum sordidam Cinerellam uxoris mortuae filiolam – fieri autem non potest, ut ista tua desiderata sit.« Regis filius patrem rogavit, ut eam sursum adscendere iuberet, sed noverca: »Nullo pacto« inquit, »nimis sordida est, in publicum prodire non potest.« Institit autem, ut veniret, quam ob rem Cinerella advocanda erat. Manibus et facie lavatis regis filium adiit et caput inclinavit. Qui calceum aureum ei porrexit. Puella in scabello consedit, pedem e gravi solea lignea extraxit, in calceum immisit. Qui optime sedebat. Cum surgeret et regis filius faciem eius conspiceret, bellam puellam agnovit, cum qua saltaverat. »Haec«, clamavit, »sponsa recta!« Noverca et sorores exhorruerunt et mo-

lestia affectae palluerunt. Regis filius eam in equum imposuit et cum ea abequitavit. Cum equo corylum praetervehererentur, duae columbellae in eo sedentes clamaverunt:

»Gu-gurru-gu, gu-gurru-go,
cruor non est in calceo!
Qui calceus amabili
haud dubie est virgini.«

His verbis ambae de corylo devolaverunt Cinerellaeque in umeris assederunt et remanserunt, alia in dextro, alia in sinistro.

Die sollemnium matrimonialium agendorum sorores insidiosae venerunt, ut blanditiis et adsentationibus benevolentiam eius colligerent et divitiarum participes fierent. Cum coniuges ad ecclesiam accedentes, maxima natu a dextra, minima natu a sinistra, prosequerentur, columbae unicuique unum oculum rostro exciderunt. Columbae, cum ecclesiam relinquerent, maximae a sinistra, minimae a dextra eunti, alterum oculum rostro exciderunt. Igitur sorores ob malitiam et fallaciam per omnem vitam caecitate percussae erant.

2 De Niviella apologus

Quondam media hieme nivibus plumeis de caelo decidentibus regina quaedam ad fenestram sedebat, cuius margo ex ebeno nigro facta erat, et suebat. Cum sueret et nives plumeas decadentes suspiceret, acu digitum vulneravit, ex quo tres guttae sanguinis effluxerunt et in nivem deciderunt. Cum color ruber sanguinis in nive candida aspectum tam pulchrum praeberet, secum cogitavit: Utinam infans mihi esset candidus ut nix, ruber ut sanguis, niger ut margo fenestrae! Iam brevi post filiolam peperit, quae erat candida ut nix et rubra ut sanguis et quae capillos nigros ut ebenum habebat et quam ea de causa »Niviellam« nominabat! Infante parta regina mortua est.

Anno post rex ad secundas nuptias transiit. Femina erat pulchra, sed etiam superba et insolens. Minime ferre poterat feminas, quae pulchritudine eam exsuperarent. Speculum mirificum habebat. Cum os suum in eo contemplabatur, dicebat:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Cui speculum respondebat:

»Regina, tu toto in regno pulcherrima.«

Quo responso contenta erat, nam sciebat speculum verum dicere.

Niviella autem pubescebat et venustior fiebat. Cum septem annos nata esset, bella ut dies clarus et pulchrior quam regina ipsa erat. Cum illa die quodam speculum suum rogaret:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Speculum respondit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed Niviella multo te
bellior est haud dubie.«

Regina terrore percussa invidiaque corrosa est. Cum Niviellam conspiciebat, intestina in corpore eius rotabantur. Puella nimis odio ei erat. Invidia et superbia in corde eius ut herba inutilis luxuriari coeperunt. Die et nocte eam agitabant. Venatorem ad se vocavit, quem puellam in silvam abducere iussit, quod aspectum eius diutius non iam ferre poterat. Cui: »Occide eam«, inquit, »et pulmonem eius affer et iecur, ex quo intellegi posset te eam re vera interfecisse.« Venator voluntati reginae obtemperavit et puellam in silvam duxit. Cum cultro venatorio destricto cor innocens Niviellae perfossurus esset, puella flere coepit et »O, bone venator«, inquit, »parce mihi. In silvam saevam incurram neque umquam domum revertam.« Puella, quia tam pulchra erat, misericordiam venatoris excitavit. Et ille: »Salutem pete, parva miseranda.« – »Bestiae ferae te mox comederint«, secum cogitavit. Tamen scrupulus ex animo ei evulsus est, quod parvam necare non debuit. Porcellum eo ipso puncto temporis transcurrentem cecidit, pulmonem et iecur excepit, reginae attulit, ut indicium ei praeberet, e quo intellegi posset se imperata fecisse. Femina malitiosa organa a coquo in aqua sale condita cocta comedit se pulmonem et iecur Niviellae comedisse opinans.

In silva magna ne musca quidem cum misera puella erat. Magnis angoribus pressa folia arborum spectabat plane ignorans quae hac in re facienda essent. Per lapides acutos et vepres spinosos currebat. Bestiae ferae praetereuntes ei dolorem non inferebant. Cucurrit usque ad vesperum ineuntem, dum sustinere se potuit. Repente parvam casellam conspexit, in quam intravit, ut quieti se daret. In casella omnia pusilla erant, sed, supra quam credibile est, concinna et munda. Mensula mappa alba tecta septem catillulis exstructa erat, quorum cuique cochlearulum inerat, praeterea septem cultellis, septem fuscinellis, septem pocellis. Ad parietem septem lectuli continui positi linteis niveis contecti erant. Niviella fame et siti pressa ex omnibus catillis paulum oleris et panis edit et quoque e pocillo guttam vini bibit, ne cenam unius solius comederet. Deinde in lectulo somno se tradidit. Nullus autem corpori eius apte conveniebat. Primus nimis longus, alter nimis parvus, septimus corpori eius accomodatus erat. In eo se continuit, in fidem Dei se commisit, somnum cepit.

Concubia nocte, postquam aes e montium cavernis elicuerunt, septem nani, casellae domini, domum redierunt. Septem candelulas suas accenderunt. Cum fieret lux, viderunt aliquem in casella fuisse, nam res, cum casam reliquissent, in alio ordine redactae erant. Quorum primus: »Quis«, inquit, »in sellula mea sedit?« Alter: »Quis e catillo meo edit?« Tertius: »Quis paniculum meum arrosit?« Quartus: »Quis partem mei oleris edit?« Quintus: »Quis furcilla mea usus est?« Sextus: »Quis cultello meo usus est?« Septimus: »Quis e pocillo meo bibit?« Tum primus respexit. Cum sulcum in lecto suo videret »Quis«, inquit, »pedem in lectulo meo posuit?« Ceteri accurrerunt et cla-

maverunt »Et meo in lectulo aliquis iacuit.« Cum septimus autem lectum suum inspiceret, Niviellam vidit in eo iacentem et dormientem. Ceteros vocavit. Qui accurrerunt, admiratione affecti clamaverunt, septem candelulas petiverunt, quibus Niviellam lustraverunt. »Mehercule«, clamaverunt, »Quae pulcherrima puella!« Magna laetitia perfusi eam non e somno suscitaverunt, siverunt in lectulo quiescere pergeret. Septimus nanus autem unam horam in singulis lectis sodalium pernoctavit.

Primo mane Niviella somno excitata est. Cum septem nanos conspiceret, exhorruit. Qui autem comiter eam interrogaverunt: »Quid est tibi nomen?« – Et haec: »Nomen mihi est Niviella.« – »Qua via huc venisti?« nani rogaverunt. Quibus narravit novercam eam interfici in animo habuisse, venatorem autem vitae eius parcuisse. Addidit se totum diem cucurrisse dum casellam nanorum indagavit. Tum nani: »Si negotia domestica curabis, si coques, si lectos sternes, si lavabis, sues, texes, si ordinem et munditiam conservabis, apud nos manere poteris nullaque re carebis.« – Et Niviella: »Profecto«, inquit, »libentissimo animo« et apud nanos mansit. Ordinem domesticum tenebat: Mane nani montes appetebant ad aes et aurum e cavernis eliciendum. Cum vespere reveniebant, sciebant vespernam ad sumendam paratam esse. Totum diem puella sola in casella erat. Boni pumili his verbis eam monebant: »Cave novercam tuam. Quae mox sciet te hic versari. Nemini ianuam pulsanti aditum da!«

Regina autem, quae, postquam, ut opinabatur, pulmonem et iecur Niviellae comedit, se denuo primam et pulcherrimam esse putabat, ad speculum adstitit et rogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Et speculum:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed trans septem montes bella
apud nanos Niviella
vivit. Quae haud dubie
multo pulchrior est te.«

Metu perterrita est, quod non ignorabat speculum numquam falsum dicere. Cognovit venatorem eam fraudavisse Niviellamque adhuc vivere. Rebus ita stantibus denuo occisionem puellae machinabatur. Dum enim pulcherrima toto non erat in regno, invidia corrodebatur. Postquam malitiam commenta est, vultum coloravit vestemque institricis sibi induit, ut agnosci non posset. Plane alia facta septem montes superavit, casellam nanorum appetivit, ianuam pulsavit, clamavit: »Bellas res venales!« Niviella per fenestram prospexit et »Bona femina«, inquit, »quid venale proponis?« – »Bonas merces, bellas merces«, respondit, »lineas discolores.« Quarum unam bombyce catagrapho textam deprompsit. Niviella secum: »Huic bonae feminae simplici aditum dare possum.« Fores reclusit et bellam lineam emit. »Parvula«, vetula inquit, »Qua tu es specie! Age, sine papillas accurate tibi compescam.« Niviella, quae nihil pravae cogitationis erat, ante eam se posuit, ut linea recte constringeretur. Vetula autem miseram tanta vi constrinxit, ut spiritus eam deficeret. Exanimata corruit. »Pulcherima feminarum fuisti«, vetula inquit et foras se proripuit.

Brevi post, hora vespertina, septem nani domum revenerunt. Perterriti sunt, cum suam Niviellulam in solo iacentem conspicerent motu vacuam quasi mortuam. Sursum eam sustulerunt. Viderunt eam nimia vi constrictam qua re lorum secuerunt. Niviella spiritu ducto paulatim animum recepit. Cum nani audirent, quae evenissent: »Institrix ista«, inquiunt, »sine dubio regina impia erat – nemini aditum da nisi tecum sumus.«

Mala femina autem, postquam domum revenit, ante speculum se posuit et rogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Responsio iterum eadem fuit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed trans septem montes bella
apud nanos Niviella
vivit. Quae haud dubie
multo pulchrior est te.«

Cum hoc audiret, sanguis cor terrore percussum inundavit, nam cognovit Niviellam animum recepisse. Quae »Nunc«, inquit, »cogitatione assequar quomodo te perdam«. Arte magica, cuius perita erat, pectinem veneno imbutum paravit. Quo facto alterius vetulae cultum induit. Septem montes superavit, casellam nanorum appetivit, ianuam pulsavit, clamavit: »Bellas res venales!« Niviella per fenestram prospexit et dixit: »Procede, nemini aditum dare mihi licet.« »Tibi certe licebit pectinem spectare.« Quem veneno imbutum his verbis e fiscina exprompsit et sursum sustu-

lit. Puella adspectu pectinis in fraudem deducta ianuam aperuit. Postquam inter se de pretio convenerunt, vetula: »Sine te nunc recte pectam.« Cuius faciendi miseranda Niviella nil mali praesagiens vetulae facultatem dedit. Sed vixdum pectinem in comam immiserat, cum venenum profecit et puella de mentis statu deiecta decidit. Et malitiosa femina: »O te omnium pulcherrimam«, inquit, »nunc actumst de te.« His verbis abiit. Forte fortuna vesperascebat septemque nani domum revenerunt. Cum Niviellam inanimam in solo iacentem viderent, statim novercam suspectam habuerunt. Casellam perscrutati sunt pectinemque veneno imbutum reppererunt. Vixdum e coma eum extraxerant, cum Niviella ad se rediit et narravit quae accidissent. Nani denuo eam monuerunt, ut nemini ianuam aperiret.

Regina domi ante speculum se posuit et rogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Idem responsum accepit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed trans septem montes bella
apud nanos Niviella
vivit. Quae haud dubie
multo pulchrior est te.«

Cum speculum haec verba dicere audiret, horruit et ira tremuit. Tum »Niviella moriatur«, clamavit, »ut ego ipsa peream.« Quo dicto occultam cellam desertam appetivit malumque veneno imbuit. Malum, quod buccas albas et

rubras habebat, aspectum pulchrum praebebat. Cuicumque, malum qui conspiciebat, edere lubebat. Qui mali quidem particulam tantum edebat, ad mortem se offerebat. Malo tincto noverca vultum coloravit vestemque rusticae sibi induit, septem montes superavit, casellam nanorum appetivit, ianuam pulsavit. Niviella caput ex fenestra emovit: »Septem nani mihi interdixerunt« inquit, »ne quemquam intromitterem.« – »Nihil impedio«, rustica dixit. »Mala mea ad omnes casus vendam. Ecce! Unum tibi dono dabo.« – »Gratia recuso«, Niviella inquit, »mihi non licet dona accipere.« – Et vetula: »Timesne, ne malum veneno tinctum sit? Seco malum duas in partes: partem rubram ede tu, albam ego edam.« – Malum autem ita elaboratum erat, ut pars rubra tantum veneno tincta esset. Cum Niviella desiderio belli mali edendi capta rusticam de eo edere videret, invitamento resistere noniam potuit manumque ad partem mali venenatam tendit. Vix offam in ore habuit, cum exanimata corruit. Regina eam oculis atrocibus intuita est, cachinnum sustulit, hoc dixit: »Candida ut nix, rubra ut sanguis, nigra ut ebenum! Nunc nani quidem te e somno excitare noniam poterunt.« Domum reversa speculum interrogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Hoc tandem respondit:

»Regina, tu toto in regno es pulcherrima.«

Quod responsum cor invidiosum reginae aliquatenus permulsit et placavit.

Cum nanuli vespere domum revenirent, Niviellam in

solo iacentem conspexerunt ex ore animam noniam spirantem. Mortua erat. Puellam levaverunt, venenum quaesiverunt, castulam eius substrinxerunt, comam eius pexerunt, aqua et vino eam lavaverunt: sed operam frustra consumpserunt. Mortua erat, mortua manebat. In ferculo puellam imposuerunt, ad quod omnes consederunt, tres dies Niviellam defleverunt. Quam sepulturi erant. Cum puella autem speciem hominis vivi praeberet et bellae genae eius rubrae essent, omnes uno ore consenserunt: »Hanc humo nigro mandare minime possimus.« Arcam vitream perspicuam fieri iusserunt, Niviellam in ea imposuerunt, nomen eius litteris aureis arcae inscripserunt, eam filiam regiam esse apposuerunt. Deinde arcam in monte posuerunt, quam unus eorum continuo custodiebat. Bestiae quoque venerunt ad Niviellam deflendam, primum ulula, tum corvus, deinde columbella.

Niviella diu in arca iacebat neque in tabem resolvebatur. Dormire videbatur, nam adhuc candida ut nix, rubra ut sanguis, crinibus ebeno nigrioribus erat. Accidit, ut regis filius in silvam incideret adque nanorum casellam pernoctatum veniret. Arcam in monte positam et bellam Niviellam in ea iacentem conspexit et quae arcae aureis litteris inscripta erant legit. Tum nanis: »Concedite mihi arcam«, inquit, »quaecumque poscatis vobis pro ea dabo.« Cui nani autem responderunt: »Nequaquam eam vendimus.« Tum puer regius: »Dono eam mihi date. Niviellae aspectu carens vivere non possum. Maxime eam honorabo et colam.« His verbis misericordiam nanorum commovit, qui arcam ei dederunt. Quam regis filius servos iussit umeris asportare. Factum est, ut pedem ad fruticem offenderent. Mali volva veneno imbuta, quam Niviella mordicus abstulerat, e cer-

vicibus elapsa est. Et iam brevi post oculos aperuit, operculum arcae sursum protrusit, se errexit, revixit. »Ubinam terrarum sum?«, clamavit. Et regis filius laetitia effusus: »Mecum es«, inquit. Tum narravit, quae accidissent, et dixit: »Tu mihi omnibus in orbe terrarum gratior. Veni mecum in domum regiam patris mei. Velim te uxorem ducere.« Niviella amore capta eum secuta est. Sollemnia nuptiarum magno cum splendore magnaque pompa instituta sunt.

Ad festum celebrandum et noverca nefaria Niviellae invitata est. Bellis vestimentis induta ad speculum adstitit et dixit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Speculum respondit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed regina recens te
multo bellior vera re.«

His verbis auribus perceptis mala femina maledictum iactavit. Angor animum eius occupavit. Primum nuptiis interesse noluerat, sed utique reginam recentem videre cupiebat. Cum in arcem intraret, Niviellam cognovit. Timore et terrore perculsa stabat motu carens. Et iam socci ferrei igne carbonis fervefacti forcipibus allati et ante eam positi sunt. Quibus soccis candentibus sumptis tamdiu saltare debuit dum mortua corruit.

3 De Hannulo Gretulaque apologus

Ante magnam silvam lignator cum uxore suisque duobus liberis vivebat. Puerulus Hannulus vocabatur, puellae nomen Gretula erat. Cum caritas increbresceret, cibaria paulatim deficiebant familiaeque victum praebere vir noniam poterat. Nocte anxio et sollicito animo in lecto se volutabat, gemebat, uxori dicebat: »Quid de nobis nunc fiat? Utnam terrarum miseris liberis nostris victum praebeamus, si ne suppeditat quidem ad nos ipsos alendos?« – »Hoc, mi marite, mihi in mentem venit«, femina dixit. »Cras primo diluculo liberos in silvam densissimam ducemus. Ignem eis accendemus et cuique frustum panis dabimus. Quo facto ad opus aggrediemur et eos solos relinquemus. Viam, quae domum fert, non invenient nosque eis liberati sumus.« – Et vir: »Non ita«, inquit, »minime hoc faciam. Non sustineo liberos meos solos in silva relinquere. Bestiae ferae eos indagarent et lacerarent.« – »O te asinum!«, inquit, »re ita stante nos omnes fame peribimus, tu tabulas sarcophagi runcinare incipere iam potes.« Exercuit eum dum assensus est. »Tamen liberorum infelicium miseret me«, vir dixit.

Liberi fame pressi, qui obdormiscere non poterant, audiverant quod noverca patri dixisset. Gretula effusissime flevit et: »Nunc«, inquit, »actum est de nobis.« – Cui: »Tace, Gretula«, Hannulus inquit, »noli sollicitari, ego tibi adero.« Postquam parentes obdormiverunt, e lectulo surrexit, vestem sibi induit, posticum patefecit, furtim digressus est. Luna clarissima lucente silices albi ante casam dispersi ut sestertii splendebant. Hannulus corpus inclinavit et quam plurimos in bursam immisit. Quo facto rediit et Gretulae dixit: »Bono sis animo, cara sororcula, placideque obdor-

misce. Deus nos non deficiet.« Tum denuo corpus quieti dedit.

Prima luce, iam ante solis ortum, femina venit ambosque liberos dormientes excitavit. »E lecto surgite, umbraticuli, in silvam eamus lignum petitum.« Tum utrique his verbis frustulum panis dedit: »Ecce vobis cibus meridianus. Quem ne confestim consumpseritis, nil amplius enim accipietis.« Gretula panem sub subligaculo recondidit, quia silices in busca Hannuli inerant. Tum cuncti in viam se dederunt silvamque appetiverunt. Postquam paulisper ierunt, Hannulus constitit casellamque respectavit, quod iterum iterumque fecit. Cui pater: »Quidnam spectas«, inquit, »curnam iterum iterumque in itinere consistis? Cave ne pedum oblitus sis!« – Et Hannulus: »Prospecto meum felem catulum album, qui in tecto insidens valedicere mihi velit.« Sed noverca: »Homo stulte, non catulus tuus, sed sol matutinus est, qui in fumario se fundit.« Hannulus autem minime catulum retrospectaverat. Qui immo vero silices nitentes alium post alium e busca in viam iecerat.

Cum mediam silvam appetivissent, pater dixit: »Nunc lignum petite. Ignes faciam, ne frigeatis.« Ramalia a Hannulo Gretulaque lecta incensa sunt. Cum flamma flagraret, femina dixit: »Nunc, liberi, corpus ad ignem prosternite et requiescite. Nos in silvam imus lignum caesum. Labore confecto reveniemus vosque abducemus.«

Hannulus Gretulaque igni assidebant. Tempore meridiano uterque frustulum panis edit. Cum ictus securis ligneae auribus perciperent, credebant patrem suum prope adesse. Securis ligneae ictus non audiebant sed rami ad arborem aridam alligati, quem ventus verberabat. Post aliquantum temporis oculi ceciderunt artoque somno liberi fatigati oppressi

sunt. Cum demum somno excitarentur, nox caliginosa iam imminebat. Gretula flere coepit et »Utnam«, inquit, »e silva evadamus?!« – Hannulus autem eam his verbis consolatus est: »Exspecta paulisper. Ubi luna orietur, viam reperiemus.« Postquam luna impleta est, Hannulus sororculam manu tenens silices sequebatur. Qui ut sestertii modo cusi albicabant viamque eis monstrabant. Totam per noctem processerunt et prima luce ad casam patris advenerunt. Ianuam pulsaverunt. Cum noverca eam aperiret et Hannulum Gretulamque conspiceret, dixit: »O vos liberos improbos! Quid tam diu in silva dormivistis? Putabamus vos noniam reventuros esse.« Pater autem gaudebat. Conscientia animi enim excruciatus erat quod eos solos reliquisset.

Iam brevi post rursus in angustiis versabantur liberique nocte matrem patri in lecto iacenti hoc dicere audiverunt: »Omnia rursus comesa sunt. Nil nisi dimidium panem reliquum habemus. Liberis e domo abeundumst. Remotiorem silvae in partem eos ducamus, ne rursus viam ex ea reperiant. Saluti nostrae consulere debemus.« Suspenso et sollicito animo pater secum: »Melius esset si ultimum frustum tuis liberis impertires.« Sed uxor verbis eius aures non praebuit, ignominiam ei imposuit, conviciis eum consectata est, misericordiam ei crimini dedit. Incepta persequenda sunt. Qui semel voluntati uxoris cessit, cui et iterum voluntati eius cedendum est.

Liberi autem nondum dormiverant et audiverant, quae dicta erant. Cum parentes somnum cepissent, Hannulus iterum e lecto surrexit, ut iterum silices colligeret. Sed noverca portam recluserat et Hannulus foras exire non potuit. His verbis autem sororculam consolatus est: »Noli lacrimare, Gretula. Bono animo dormias, Deus bonus nobis aderit.«

Primo iam mane noverca liberos e lectulo surgere iussit. Quibus frustulum panis dedit, quod minus quidem erat quam illud prioris diei. In via ad silvam ferens Hannulus panem in busca abditum friavit, saepe constitit, miculam omisit. Cui pater: »Hannule, cur iterum atque iterum consistis«, inquit, »cur iterum iterumque respicis? Fac viam tuam persequaris!« – »Oculos in meam columbulam conicio, quae in tecto sedet et valedicere mihi velit«, Hannulus inquit. – »Asine«, noverca clamavit, »non est tua columbula, sed sol matutinus est, qui in fumario se fundit.« Sed Hannulus tamen miculas aliam post aliam e busca in viam deiecit.

Noverca liberos in etiam remotiorem locum silvae duxit, ubi numquam antea fuerant. Iterum ignes facti sunt, et mater: »Residete hic, liberi«, inquit. »Cum fatigamini, paulisper dormite – nos in silvam imus lignum caesum. Ad vesperum, labore confecto, reveniemus ad vos abducendos.« Meridie Gretula panem suam cum Hannulo partita est, qui pane suo viam consperserat. Tum somno oppressi sunt. Vesper praeteriit, sed nemo venit liberos miserandos abductum. Multa nocte caliginosa demum experrecti sunt. Hannulus sororculam his verbis consolatus est: »Luna orta miculas cernemus, quas dispersi. Viam, quae nos domum ducet, nobis monstrabunt.« Luna apparente profecti sunt, sed nullam miculam creverunt, quod innumerabiles aves, quae per silvas camposque volitant, omnes comederant. Hannulus Gretulae »Certe viam reperiemus«, inquit. Quam autem non reppererunt. Totam per noctem totumque per diem ierunt, nec e silva evaserunt. Esuriebant, nam nil ad vescendum aptum praeter nonnullas bacas habebant, quas terra gignebat. Cum pedes lassitudine confecti one-

rique corporis ferendo accomodati noniam essent, sub arborem corpus prostraverunt et connixerunt.

Nunc tres iam dies casam patris reliquerant. Longius processerunt, sed magis magisque in silvam penetrabant. Nisi brevi tempore adiuvarentur, fame perirent. Tempore meridiano bellam aviculam albam in ramo sedentem conspexerunt. Quae voce tam bella cantabat, ut consisterent et dulci cantui aures praeberent. Postquam cantavit, alas iactavit et praevolavit et liberi eam secuti sunt dum ad casellam pervenerunt, cuius in tecto consedit. Cum propius irent, viderunt casellam pane aedificatam et dulciis constratam esse. Fenestrae saccharo claro confectae erant. »Ad rem accedamus«, Hannulus dixit, »delectemur hoc convivio delicatissimo. Ego particulam tecti edam, Gretula, tu fenestrae fragmentum comedere potes, dulci sapore est.« Hannulus manus sursum extendit et parvam particulam tecti decerpsit, ut censuram sacchari faceret. Gretula ad vitream quadraturam stitit et rodere coepit. Subito vox tenuis e cubiculo foras clamavit:

»Quis, cór-ro-ró-di-rá-sam,
arrodit meam casam?«

Liberi responderunt:

»Est zephyrus, est zephyrus,
divinus est infantulus«,

animoque tranquillo edere perrexerunt. Hannulus, cui tectus gratissimus erat, magnam partem eius proripuit et Gretula totam vitream quadraturam extrusit, consedit, iucunde cenavit. Repente porta patefacta est et femina senectute confecta, quae corpus baculo levabat, tarde foras exiit. Hannulus et Gretula tantopere perterriti sunt, ut bellaria eis de manibus exciderent. Vetula autem capite vacillans: »Euge,

cari liberi«, inquit, »quid vos a cursu huc deiecit? Intrate modo et remanete mecum. Iniuria vobis non fiet.« Utriusque manum comprehendit et in casellam eos duxit. Iucundum cibum apposuit: lac, lagana saccharo obducta, mela, nuces. Tum duos bellos lectulos linteis albis stravit. Hannulus et Gretula in eis se posuerunt seque in caelo esse putabant.

Vetula comitatem finxerat. Quae enim mala maga erat, quae liberis insidiabatur. Casellam paniferam exstruxerat ad eos in eam inescandos. Quos nanciscebatur necabat, coquebat, comedebat, diem festum celebrabat. Magae oculos rubros habent, quibus non satis prospicere possunt. Odoratu sagace autem dotatae tamquam bestiae homines appropinquantes olfaciunt. Cum Hannulus et Gretula prope accederent, eos malitiose irrisit et secum: »Captivi, quibus ego potita sum«, inquit, »noniam effugiant.« Primo iam mane, priusquam liberi somno excitarentur, e lecto surrexit. Cum eos buccis rubris rotundis ornatos tam nitide dormientes conspiceret, admurmuravit: »Isti convivium sollemne mihi parabunt.« Manu macro Hannulum corripuit, in parvum stabulum clatratum portavit, in eo inclusit. Qui eiulavit et ululavit – sed frustra laboravit. Maga tum Gretulam convenit et e somno excitavit. Cui: »Surge«, inquit, »caro desidiosa, aquatum i, fratri tuo in stabulo incluso bonum cibum coque, ut pinguescat. Cum pinguis fuerit, eum comedam.« Gretula effusissime flere coepit, sed fletus frustri erant, faciendum ei erat, quod mala maga iusserat.

Venefica Hannulo miserando iucundissimos cibos coquebat, Gretulae autem nil nisi testae cancrorum ministrabantur. Mane vetula suspenso gradu stabululum appetebat et clamabat: »Hannule, digitum e cavea exsere, ut sentiam si

satis pinguis iam es.« Hannulus ossulum autem exserebat. Vetula, quae oculos caligantes habebat, putabat os digitum esse. Mirabatur puellum pondere non crescere. Cum quattuor hebdomadibus effluxis Hannulus tunc etiam macer maneret, maga morae impatiens diutius exspectare noluit. »Eho, Gretula«, clamavit, »perniciter aquam pete – utrum Hannulus pinguis sit an macer, cras eum quantocumque pretio mactabo et coquam.« Sororcula miseratione digna lamentata est fletumque, cum aquam petitum iret, cohibere non potuit. Lacrimae de genis eius defluebant. »Deus bone, ades nobis!« clamavit. »Si bestiae ferae silvae nos comedissent, saltem coniuncti mortui essemus.« – Sed vetula: »Frustra eiulas«, inquit, »nihil proficies.«

Primo mane Gretulam e lecto surgere, aënum aquarium suspendere, ignem facere iussit. »Primum coquemus«, vetula dixit, »ligna in camino iam accendi, farinam subegi.« Miseram Gretulam foras extrusit et ad furnum traxit, quem flammae iam lambebant. Tum: »Intro repe«, inquit, »et cura, ut furnus ad panem intromittendum satis calefactus sit.« Ore furni clauso puellam in eo assatam comedere in animo habebat. Gretula autem veneficae consilium perspexit. Quae: »Nescio«, inquit, »quomodo hoc faciam, quomodo in furnum introeam.« – Et maga: »O te fatuam«, inquit, »os satis magnum est, ego ipsa introire possem.« His verbis propius iit caputque in furnum immisit. Gretula magam ictu afflixit omninoque in ignem detrusit. Ostiolum ferreum clausit et obseravit. Atrocissime ululare coepit. Sed Gretula abiit improbaque venefica miserrime igni cremata est.

Gretula autem recta ad Hannulum cucurrit, stabululum aperuit, clamavit: »Hannule, liberati sumus, venefica mortua est.« More avis, cuius cavea patefit, Hannulus e stabulo

exsiluit. Magno gaudio affecti alter collum alterius amplexu petivit, modo huc, modo illuc circumsiluerunt, inter se oscula dederunt. Cum maga exanimis noniam metum eis iniceret, in eius casam intraverunt. Circumquaque, in omnibus angulis, cistae gemmis et margaritis impletae erant. Et Hannulus: »Hae«, inquit, »meliores quidem silicibus« sinumque eis refersit. Tum Gretula: »Et ego«, inquit, »aliquid mecum domum afferre volo.« Quo dicto subligaculum his rebus bellulis complevit. »Nunc autem proficiscamur. Tempus est, ut e silva excantata egrediamur«, Hannulus dixit. Postquam paucas horas per silvam ierunt, ad magnam profluentem pervenerunt. »Hanc traicere non possumus«, Hannulus dixit, »nec ponticulum nec pontem video.« – »Neque navicula vehi possimus«, Gretula respondit. »Ibi autem alba anas natat. Si eam auxilium rogo, adiuvabit nos ad profluentem transvehendam.« Clamavit:

»Hic, anas lepida,
Hannes et Gretula.
Tuis attolle nos
umeris liberos.«

Anaticula ex aqua egressa est, et Hannulus in umeris eius consedit et sororculam invitavit, ut iuxta consideret. Sed Gretula: »Non ita! Nimium graves sumus. Anaticula nos alterum post alteram transvehat.« Quod bona bestiola fecit. Profluente feliciter traiecta paulisper longius processerunt, et silva magis magisque nota eis videbatur. Demum ex longinquo casam patriam creverunt. Citato gradu cucurrerunt, cellam irruerunt, in collum patris invaserunt. Qui ne horam quidem vivere atque anima frui poterat, ex quo liberi in silva reliquerat. Noverca autem vita exierat. Gretula subligaculum excussit, et gemmae margaritaeque in cella

circumsilierunt. Hannulus iterum iterumque quot e sinu exprompitas manu capi possent proiecit. Nunc omnibus curis liberi solutique laeti convivebant. –

Finitus est apologus,
ibique currit musculus,
quo capto licet cappulam
conficere pelliceam.

4 De Mitella rubra apologus

Dulcis olim erat puellula, quam omnes, qui eam videbant, amabant. Multo maxime autem avia eam amabat, quae parvam donis onerabat. Aliquando mitellam rubram holosericam nepoti dono dedit. Quae, cum eam deceret nihiloque alio nisi ea vestita esse vellet, ab omnibus Rubrimitella appellabatur. Quondam mater ei dixit: »Audi, Rubrimitella, ecce tibi aliquantum placentae lagoenaque vini. Haec aviae perfer. Aegrota et debilis est hisque delectabitur. Proficiscere priusquam sol medium orbem signaverit. Oboedienter recta via i, noli de ea declinare, aliter procides et lagoena frangetur et avia nihil auferet. Cum in casam eius intrabis, verbis ›Salve, avia!‹ eam saluta priusquam omnes angulos inspexeris.«

»Rem te approbante geram«, Rubrimitella matri dixit fidemque ei dedit. Avia foris in silva habitabat, dimidiam partem horae a vico remota. Cum Rubrimitella ad silvam perveniret, in lupum incidit. Cum Rubrimitella nesciret, quae mala bestia iste esset, lupum non timuit. Tum ille: »Salve, Rubrimitella«, inquit. »Item salveas, lupe.« – »Quo vadis primo iam mane, Rubrimitella?« – »Aviam convenio.« – »Quid fers sub subligaculo abditum?« – »Placentam et vinum – heri placentam coximus, ut avia aegrota et debilis largiter se invitaret et vires reficeret.« – »Rubrimitella, ubi avia tua habitat?« – »Itinere quadrantis horae per silvam facto casam eius sub tribus magnis quercibus positam videbis, ibi et tres coryli sunt, ut certe scis«, Rubrimitella dixit. Lupus secum cogitavit: »Haec puellula tenera cibus delicatus est sapore multo iucundiore quam vetula. Fraude ac dolo res mihi suscipienda est, ut utramque capiam.« Paulisper

Rubrimitellam comitatus est. Tum: »Rubrimitella«, inquit, »en aspice pulchros flosculos ubique florentes, curnam non circumspectas? Puto te ne avicularum quidem dulcem cantum audire? Voluptatis expers meas quasi scholam appeteres neque animadvertis laetitiam atque hilaritatem in silva vigentes.«

Rubrimitella oculos aperuit. Cum radios solis per arbores ultro citroque saltantes omniaque plena pulchrorum florum conspiceret, secum cogitavit: »Si horum fasciculum mecum adducam atque aviae dabo, magnum gaudium ei parabo. Mane est, in tempore adveniam.« De via declinavit longiusque in silvam iniit et flores carpsit. Quotiescumque unum carpsisset, putabat, si procederet, etiam pulchriorem reperturam esse. Ita magis magisque in silvam caecam ingressa est. Lupus autem recta via casam aviae petivit foresque pulsavit. »Quis tu?« – »Rubrimitella sum. Placentam et vinum tibi affero. Ostium aperi.« – »Claustrum supprime«, avia dixit, »ego, quae debilis atque senectute confecta sum, e lecto surgere non possum.« Lupus claustrum suppressit ostiumque patefactum est. Lupus nihil dicens recta lectum aviae appetivit et eam devoravit. Quo facto veste et calautica eius se induit, in lecto eius recubuit, aulaea misit.

Rubrimitella interea flores quaesiverat. Postquam tot carpsit quot portare posset, aviae meminerat et iter ad casam eius direxit. Mirata est ostium patere. Cum in conclave intraret, mire affecta est secumque cogitavit: Pro deus optime, quid mihi anxii animi hodie est, quae antea tam bene apud aviam me habeam?! »Salve« clamavit, sed responsum non abstulit. Tum ad lectum cucurrit et aulaea sustulit – et in lucem, en, prodiit avia, quae calautica faciem obtexente vestita mirum aspectum praebebat. »O avia, quam magnos

habes aures!« – »Ut melius te audire possim.« – »O avia, quam magnos habes oculos!« – »Ut melius te videre possim.« »O avia, quam magnas habes manus!« – »Ut melius te capere possim.« – »At, avia, quam ingens habes os!« – »Ut melius te comedere possim.« Vix lupus haec dixerat, cum uno impetu e lecto exsiluit et miseram Rubrimitellam devoravit.

Libitu carnoso expleto lupus iterum in lecto procubuit, obdormivit, magna voce stertere coepit. Venator, qui commodum casam praeteribat, secum cogitavit: Quam supra modum strepentes anus stertentis sonitus sunt! Ab ea percontabor num aegra sit. In conclave intravit lupumque in lecto iacentem vidit. »Tandem te furem hic investigo«, inquit, »perdiu te agitavi.« Cum manum sclopeto admoturus esset, ad animum ei occurrit lupum aviam fortasse comedisse eamque etiam servari posse. – Glandem igniferam non excussit, sed forficem sumpsit, quo ventrem lupi dormientis insecuit. Postquam nonnullas incisuras fecit, mitellam rubram lucentem vidit. Cum secare pergeret, puella e ventre exsiluit et dixit: »Dici non potest quantopere in ventre obscuro lupi inclusa metu perterrita essem!« Tum et avia, quae anhelabat, incolumis exiit. Rubrimitella autem cito magna saxa gestavit, quibus ventrem lupi farsit. Cum expergisceret, aufugere voluit. Saxa autem tam gravia erant, ut succumberet et de vita exiret.

Nunc omnes pergaudebant. Venator lupo pellem detraxit domumque tulit; avia placentam edit vinumque, quod Rubrimitella apportaverat, bibit et revixit; Rubrimitella secum cogitavit: Numquam post dum vivam matre vetante de via deflectam et in silvam intrabo.

Ad nos et affertur narratio de Rubrimitella aviae res coctas allatura, cui alius lupus persuasit, ut de via deflecteret. Quem Rubrimitella autem cauta est rectaque via processit. Aviae dixit se in lupum incidisse, qui vultu torvo eam aspexit et salvere iussit. »Nisi palam me convenisset, haud dubie me comedisset.« – Tum avia. »Age«, inquit, »fores obseremus, ne introire possit.« Paulo post lupus fores pulsavit et clamavit: »Ostium aperi, avia, Rubrimitella sum, cocta tibi affero.« Avia et Rubrimitella autem tacuerunt nec ostium aperuerunt. Caniceps aliquoties suspenso gradu circum casam iit, tum in tectum insiluit. Cui in animo erat exspectare dum Rubrimitella vesperi domum rediret. Eam clam sequi et nocturno tempore comedere cogitabat. Avia autem cognovit quod scelus machinaretur. Ante casam magnus alveus lapideus erat. Avia puellae dixit: »Heri, Rubrimitella, hillas coxi. Situlam sume aquamque, in qua fervefactae sunt, ad alveum porta.« Rubrimitella aquam petivit dum alveus plenus erat. Odor hillarum lupi nares invasit. Odorem scrutans de tecto despexit et collum tetendit. In tecto permanere non iam potuit et delabi coepit. De tecto delapsus est recta in magnum alveum cuius in aqua periit. Rubrimitella autem animo hilari domum iit neque quisquam nunc erat, qui iniuriam ei inferre posset.

5 De Sopitula bella apologus

Multo ante rex reginaque vivebant, qui diem ex die dicebant: »Utinam infantulum haberemus!« Qui autem infans eis natus non est. Accidit quondam, cum regina in stagno lavaretur, ut rana ex aqua ad ripam reperet et diceret: »Optatum impetrabis. Priusquam annus transierit, filiam paries.« Quod rana dixerat factum est reginaque puellam peperit, quae tam venusta erat, ut rex facere non posset, quin magnum diem festum institueret. Non solum omnes propinquos, amicos, familiares invitavit sed etiam magas sapientes, ut infanti faverent et amicae ei essent. Sapientia praeditae erant tredecim in regno eius. Quarum una autem domi manere debuit, cum rex duodecim tantum catillos cibarios ex auro factos haberet. Festum magno cum splendore celebratum est. Quo finito magae infantem muneribus mirabilibus donaverunt: virtute, pulchritudine, divitiis, omnibus huius mundi rebus desiderabilibus. Cum undecima optatum fecisset, tertia decima repente intravit. In regem vindicare voluit, quod ad festum eam non rogavisset. Nemini salutem dedit nec quemquam adspexit. Tum illa: »Regis filia«, inquit, »quindecim annos nata in fuso operando pungatur mortiferoque vulnere affecta corruat.« Nil aliud dicens regi tergum obvertit et ex atrio exiit. Omnes in terrorem coniecti sunt. Forte fortuna duodecima arte magica nondum usa erat. Fascinationem non irritam facere sed modo mitigare poterat: »Regis filia«, inquit, »ne moriatur, sed centum annos graviter et arte dormitet.«

Ad suam caram filiam a calamitate defendendam toto in regno omnes fusos igne deleri iussit. Bonarum magarum autem praedictiones ad puellam pertinentes ad unam om-

nes verae probatae sunt, nam puella tam venusta, tam verecunda, tam amabilis, tam sapiens erat, ut omnibus eam aspicientibus gratissima esset. Accidit, ut eius die natali quinto decimo rex et regina non domi versarentur puellaque sola in regia remaneret. Ubique circumcursabat conclaviaque et cellas ad libidinem inspiciebat. Demum ad turrem vetustam pervenit. Scalas cochleatas angustas sursum ascendit et ad parvam portam pervenit. In claustro clavis robiginosa erat. Cum eam circumageret, porta subito patefacta est. In parvo conclavulo vetula sedebat, quae fuso linum nebat. Cui regis filia: »Salve, aviola«, inquit, »quid agis?« – Et vetula: »Neo«, inquit capitis motu nutans. »Quae haec est res, quae tam hilariter huc atque illuc iactetur?« puella rogavit. Tum fusum prehendit, quod et ipsa nere volebat. Vix autem fusum tetigerat, cum carmen eventu comprobatum est puellaque digitum suum pupugit.

Eo ipso autem puncto temporis, quo acu se vulneraret, in lectum, qui prope stabat, incidit et obdormivit. Et tota domus regia somno oppressa est, rex et regina, qui modo domum redierant et in atrium intraverant, omnesque aulici obdormiverunt. Et equi in stabulo, canes in aula, columbae in tecto, muscae in pariete obdormiverunt. Etiam ignis, qui in fornace tremulis flammis ardebat et crepabat, conticuit et obdormivit, et assum torreri desiit. Coquus capillos pueri culinarii tracturus erat, quod ille in offensionem eius incurrerat. Puerum autem dimisit et obdormivit. Et ventus cessavit, et in arboribus ante domum regiam ne unum quidem foliolum se commovit.

Circum regiam vepres crescere coeperunt, qui tempore procedente magis magisque alti facti postremo totam regiam circumtexerunt et supercreverunt, quo factum est, ut

nihil conspici posset, ne vexillum quidem in tecto positum. In regno autem fama erat bellam puellam Sopitulam dictam in castello dormitare. Quare interdum regum filii venerunt, qui per vepres in regiam penetrare conati sunt. Quod quidem efficere non potuerunt, nam vepres, quasi manus haberent, inter se amplexabantur. Iuvenes in eis capti non se liberare potuerunt, miserabili obitu excesserunt. Multis annis post etiam regis filius civitatem appetivit. Qui senem de vepribus narrare audivit. Vir ille dixit post hoc dumetum castellum esse, in quo venustissima regis filia nomine Sopitula ex centum annis dormiebat una cum rege et regina et omnibus aulicis. Et avus eius dixit multos iam regum filios venisse et per vepres penetrare conatos esse. Ad unum omnes autem in vepribus implicati obitu tristi excesserunt. Tum adolescens: »Angoribus minime premor«, inquit, »bellam Sopitulam videre cupio.« Ut bonus senex eum dehortaretur a hoc faciendo, tamen verbis eius aures non praebuit.

Centum annis praeteritis dies advenit, quo die Sopitula e somno rursus experrecta est. Cum regis filius vepribus appropinquaret, ex eis magni flores nitidi facti sunt. Qui ipsi se dimoverunt eique integro et incolumi transitum dederunt. Post tergum eius rursus vepres impenetrabiles facti sunt. In area equos crevit et canes venaticos maculosos, qui omnes dormiebant. In tecto columbae capitula sua sub alis abdentes sedebant. Cum in domum intraret, muscas sopitas parieti adhaerentes vidit, coquum in culina manum tollentem quasi tironi alapam ducturus esset, ancillam ante gallinam nigram sedentem, cui plumas vulsura erat. Cum longius procederet, in solo oeci omnes aulicos dormientes iacere vidit, et supra ad sellam regiam rex et regina iacebant.

Etiam longius processit, et omnia tam quieta erant, ut respirationem suam audire posset. Cum demum ad turrem perveniret et ostium cellulae, in qua dormiebat, aperiret, Sopitulam conspexit. Quae tam venusta erat, ut oculos ab ea avertere non posset. Corpore inclinato osculum ei dedit. Cum os eius os Sopitulae tangeret, puella oculos aperuit, somno excussa est, comiter adulescentem aspexit. Ambo de turri descenderunt. Rex, regina, aulici experrecti et magnopere mirati sunt. Equi in area surrexerunt et ex somno se excitaverunt, canes venatici caudam moventes circumsiluerunt; columbae in tecto capitulum sub ala abditum protulerunt, circumspexerunt, campos volando appetiverunt; muscae parietibus adhaerentes rependo discesserunt; fornax in culina ignem traxit, tremula flamma arsit, cibum coxit; caro assari coepit; coquus puello ululanti alapam duxit; ancilla ad finem plumarum gallinae evellendarum venit. Nunc regis filius cum Sopitula nuptias fecit. Quarum sollemnia regio apparatu celebrata sunt. Sponsus et sponsa usque ad vitae finem iucunde vixerunt.

6 De ranunculo rege seu de Henrico ferro vincto apologus

Antiquis temporibus, cum optata eventu comprobabantur, rex vivebat, cuius filiae omnes formosissimae erant. Minima natu tam quidem formosa erat, ut sol ipse, qui tanta iam viderat, iterum atque iterum stuperet, cum os eius radiis suis illustrabat. Prope domum regiam magna silva tenebricosa erat, qua in silva sub tilia vetusta puteus inveniebatur. Cum caelum aestuosum erat, regis filiola silvam appetebat puteique frigidi ad oram assidebat. Cum dies ei longus videbatur, globum aureum prehendebat, sublime iactabat, manu excipiebat. Quo oblectamine plurimum delectabatur.

Quondam accidit, ut filiae regiae globus aureus non in eius manusculam, quam sursum tollebat, caderet, sed in solum decideret rectaque in aquam involveretur. Puella globum e conspectu abeuntem oculis prosequebatur. Puteus ille altissimus erat, fundus videri non poterat. Filia regia collacrimabat, eiulabat, ululabat, angebatur. Quam lamentantem repente vox appellavit. »Quid rei est, regis filia? Ploratus tui quemvis vel durissimum moveant!« Cum circumspiceret, ranunculum vidit, cuius caput crassum atque deforme ex aqua eminebat. »Ecce! Tutene, ocule torpens?!« dixit. »Lacrimo, quod globus meus aureus in puteum incidit.« – »Dolorem abice! Noli lacrimare!« ranunculus respondit. »Possum te iuvare. Quid autem mihi dabis, si tuam rem lusoriam e puteo prompsero?« – »Quodcumque cupias, care ranuncule«, inquit, »vestes meas, margaritas, gemmas, coronam quidem auream capiti meo impositam.« Sed ra-

nunculus »Nolo«, inquit, »vestes tuas, margaritas, gemmas, coronam auream capiti tuo impositam – volo te me amare, volo tibi amicus et collusor esse, volo iuxta te ad mensulam sedere, e catillo tuo edere, e pocello tuo bibere, in lectulo tuo cubare. Si haec mihi promittes, in puteum insiliam globumque aureum expromam.« – Et illa: »Fiat!«, inquit, »quaevis optabis faciam, si globum mihi repetis.« Secum autem: »O sancta simplicitas! Iste ranunculus in aqua cum sociis suis coaxans nullius hominis amicus esse potest.«

Postquam puella huic consilio adsenta est, ranunculus caput in puteo summersit, in aquam saltu se iniecit, brevi post revenit, globum ori in herbam exprompsit. Regis filia in gaudium effusa bellam rem lusoriam conspexit, terra sustulit, cursu se proripuit. »Mane! Mane!«, ranunculus clamavit, »me duc tecum, more tuo cito currendi imperitus sum!« Qui autem frustra maxima voce coaxavit. Puella clamores nihil curavit. Domum maturavit et iam mox ranunculi, qui iterum in puteum insiluerat, oblita erat.

Postero die, cum puella cum rege et purpuratis accubaret et e catillo aureo ederet, mira res umida per manus et genua reptans gradus marmoreos ascendit. Cum summo in gradu adveniret, ianuam pulsavit et clamavit: »Filia regia minima natu, ianuam mihi aperi!« Quae ad ianuam cucurrit, ut inspiceret, quinam ad fores esset. Cum ianuam aperiret, ranunculum ante eam sedentem conspexit. Fores raptim obiecit animoque sollicito ad mensam iterum consedit. Cui rex, qui cor eius vehementer palpitantem animadvertit: »Filiola mea«, inquit, »quid times? Num gigas te abducturus ante ianuam stat?« – Et filia: »Minime vero«, inquit, »gigas non est, ranunculus informis et foedus est.« – »Quid terrarum iste te vult?« – »Care mi patercule, cum heri in

silva prope puteum globo aureo luderem, globus in aquam incidit. Cum lacrimas uberes profunderem, ranunculus eum ex aqua deprompsit. Poposcit autem a me, ut amica eius fierem, quod pollicita sum. Minime putabam eum ex aqua exire posse. Nunc ad fores stat et intrare cupit.« Et iam iterum ranunculus ianuam pulsavit et clamavit:

»Regis filia minima natu,
ianuam aperi.
An nescis quod heri
mihi promiseris
ad putei aquas frigidas?
Regis filia minima natu,
ianuam aperi.«

Tum rex: »Pacta sunt servanda. I ianuam patefactum.« Cum puella ianuam patefaceret, ranunculus in cubiculum insiluit vestigiis eam usque ad sellam eius consequens. Tum ille: »In sellam impone me iuxta te.« Quod faciat rex filiae cunctanti imperavit. Ut primum ranunculus in sella sedit, mensam appetere voluit, et cum in ea sederet: »Nunc«, inquit, »admove catillum, ut communiter cenemus.« Quod puella fecit, etiamsi, ut clare videri poterat, perinvita fecit. Ranunculus largiter se invitavit, puellam epulae fere suffocaverunt. Postremo ranunculus dixit: »Famem et sitim explevi. Nunc lectulo bombycino strato me lassitudine confectum in cubiculum tuum porta, ut somno nos tradamus.« Filia regis lacrimare coepit. Ranunculum frigidum timebat, quem bellum lectulum mundum appetiturum tangere non audebat. Sed rex ira inflammatus: »Noli spernere, qui tibi in angustiis versanti adfuit.« Duobus digitis caute eum cepit, sursum tulit, in angulo deposuit. Cum illa autem in lecto iaceret, arrepsit et dixit: »Fatigatus sum, ego

tam bene quam tu dormire cupio – in lectum subleva me, nisi vis patri tuo rem enuntiem.« Ira ardens eum sublevavit et summa vi in parietem coniecit: »Nunc noniam mihi oneri es, turpis bestia!«

Cum ranunculus autem de pariete decideret, e foeda bestia principulus bellis oculis comibus praeditus factus est. Quem pater libenti animo filiae nuptum dedit. De venefica malefica narravit, quae carminibus eum in aliam naturam converterat et dixit neminem nisi regis filiam e puteo liberare eum potuisse. Addidit se una cum ea postero die regnum suum appetere velle. Tum somno oppressi sunt. Postridie, cum sol e somno eos excitaret, currus octo equis albis iunctus advenit, quorum capita struthocameli pennis albis ornata erant. Equos catenis aureis vinctos Henricus principuli famulus fidus sequebatur. Cum dominus eius in ranunculum devotus esset, Henricus fidus maximum dolorem ceperat. Cor suum tribus catenis ferreis circumligaverat, ne dolore atque maestitia frangeretur. Equi iugales missi erant, ut regem adulescentem in regnum eius veherent. Henricus fidelis, qui toto pectore de salute domini sui laetabatur, ambo in currum imposuit et rursus in currus postica parte locum cepit. Postquam nonnullos passus itineris confecerunt, regis filius fragorem post tergum audivit, quasi aliquid fractum esset. Se convertit et clamavit:

»Rota fractast essedi.«
»Minime, domine mi.
Cordi meo vinculum
cinctum ruptumst ferreum,
quod eventu prospero
fabulae tam gaudeo.«

Duo etiam in itinere fragores auditi sunt. Regis filius numquam non credidit currum diruptum iri. Sed vincula erant, quae de corde Henrici fidelis deciderunt, quod dominus eius nunc salvatus et beatus erat.

7 De Hanne fortunato apologus

Hannes domino, postquam septem annos apud eum servivit: »Domine«, inquit, »tempus, quo operas meas tibi locavi, finitum est. Nunc ad matrem domum redire velim. Mercedem quaeso persolve mihi.« Cui dominus: »Tu mihi semper servus fidelis atque sincerus fuisti. Operam utilem mihi navavisti, et operae aptam mercedem accipies.« Auri massam ei dedit tam magnam quam caput Hannis. Hannes e sinu pannum exprompsit, massam in eo involvit, umeris accepit, domum capessivit. Cum lente incederet pedem pedi proponens, eques in conspectum eius venit, qui hilariter atque impigre equo alacri praetervehebatur. Cui Hannes: »Ah«, inquit, »equo vehi iucunda est res! Quasi sellae equo insides, nullum lapidem offendis, calceorum compendium facis, tamen aliqua procedis.« Eques, qui haec verba audiverat, habenas adduxit et clamavit: »O Hannes, cur gentium pedibus iter facis?« – Et ille: »Necesse est«, inquit. »Mihi globus ex auro factus domum ferendus est, sed caput erigere non possum, praeterea pondus umerum atterit.« – Cui eques: »At scin' quid, sodes?« inquit, »Res mutemus – ego tibi equum meum dabo, tu mihi globum tuum dabis.« – »Libentissimo animo«, Hannes dixit. »Quo pondere autem membra fessa trahes.« Eques ex equo descendit, aurum accepit, Hannem in equum ascendere iuvavit, habenas his verbis manui eius tradidit: »Si vis equum celeriter currat, lingua tibi crepandum et hop hop vociferandum est.«

Hannes beatissimus erat, cum in equo sederet eoque libere et animo relaxato veheretur. Brevi tempore interiecto in mentem ei venit equum etiam celerius currere posse, qua de causa lingua crepavit et hop hop vociferatus est.

Equus citato gradu ire coepit, et Hannes, cum minime exspectaverit, ab equo effusus in fossa iacebat, quae agros a via publica separabat. Equus aufugisset, nisi agricola, qui bovem agebat et cuius via viam Hannis concurrebat, fugientem retardavisset. Hannes ossa in ordinem redegit et rursus in pedes se coniecit. Qui lapsum autem aegre ferens agricolae: »Haud iuvat caballo vehi« inquit, »qui expavescat et equitem effundat, ut cervices illius frangantur. Ego numquam equo vehar. Mallem bovem tuam, quam gradu placido pone sequi possem et quae praeterea cottidie lac, butyrum, caseum mihi provideret. Si talem bovem haberem – omnia pro ea darem!« – Et agricola: »Obsequar, sis«, inquit, »voluntati tuae bovem que meam cum equo tuo mutabo.« Hannes condicionem libentissime accepit. Agricola in equum insiluit et quam celerrime avectus est.

Hannes bono commercio laetans bovem aequo animo prae se egit. »Si panis, quo non careo, frustum edere volo, butyro et caseo illinere possum cum mihi cordi est. Si siti premor, bovem meam mulgeo eiusque lac bibo. Quid amplius desidero?« Cum ad deversorium adveniret, constitit, laetitia perfusus omnia, quae secum habebat, cenam, cibum vespertinum, comedit, ultimos nummos in dimidium poculum cerevisiae erogavit. Tum bovem protinus egit vicum matris appetens. Quanto meridies appropinquabat, tanto calores molestiores fiebant Hannique etiam iter dimidiae horae per ericetum faciendum erat. Sudare coeperat linguaque sitientis palato adhaerebat. »Res facillime tractari potest«, Hannes secum cogitabat. »Bovem mulgebo lacteque eius delectabor.« Bovem ad arborem aridam alligavit. Cum situlam non haberet, pilleum scorteum uberi supposuit. Quantopere autem contenderet, ne lactis quidem gut-

ta in conspectum venit. Cum praeterea rudem se praeberet, bestia morae impatiens pede posteriore capiti eius plagam intulit tanta vi, ut pedibus titubantibus procideret et aliquamdiu nesciret, ubi esset. Bene accidit, ut lanius ei obvius fieret, qui porcellum in plostello iacentem secum ferebat. »Quaenam hae sunt res?« clamavit Hannemque levavit. Hannes narravit quae accidissent. Et lanius lagoenam ei porrigens: »Bibe«, inquit, »et remitte animum. Vacca noniam lactat. Animal grande natu est ad currum trahendum fortasse aptum fatoque nata, ut caederetur.« – Et Hannes: »Incredibile creditu«, inquit manu in capillum sibi involans, »quis hoc exspectaverat!? Certe res utilis atque iucunda est tale animal domi iugulare – carnis causa. Ego carnem bubulam autem nihil curo. Non satis sucida est. Utinam porcellum habeam! Suilla melius sapit, ne bonorum botellorum obliviscar.« – Et lanius: »Age, Hannes«, inquit, »tui gratia porcum meum cum vacca tua mutabo.« Cui Hannes: »Ut Deus tibi pro benignitate gratiam referat«, inquit. Vaccam lanio tradidit, qui porcellum resolvit funemque, quo alligatus erat, manui Hannis imposuit.

Hannes processit et mente agitavit quae omnia ex sententia procederant. Molestiis ei exhibitis iterum iterumque statim liberatus est. Paulo post adulescentulus ei se adiunxit, qui sub bracchio bellum anserem album ferebat. Cum colloquebantur, Hannes de sua arte e rebus inter se mutandis fructum capiendi narrabat. Adulescentulus dixit anserem convivis sollemnis baptismalis destinatum esse. Qui alas eius arripiens perrexit: »Sursum eum tolle, ut videas quo pondere valeat. Quid mirum – octo menses saginatus est! Qui assum anserinum morsu arripit, ei genae pingui sparsae detergendae sunt.« – Una manu anserem pensans

Hannes: »Ita«, inquit, »vere gravis est, sed porcus meus non est sus.« Interea adulescentulus quoquoversum incerte caputque quatiens circumspiciebat. Tum Hanni: »Audi«, inquit, »de porco tuo dubitandumst. In vico, per quem modo transii, porcus sculteti surreptus est. Quid dicam? Timeo, ne sit ille, quem tecum ducis. In omnes partes vicani dimissi sunt. Faucibus premereris si cum porco te deprehenderent, in optimo casu in carcerem includereris.« Hannes anxiis curis impletus: »Pro Deus optime!« inquit, »succurre mihi in angustiis versanti. Rerum gerendarum peritus es. Porcum meum accipe tuumque anserem mihi da.« – Sed adulescentulus: »Multum in aleam do«, respondit, »at nolo culpa mea in calamitatem incidas.« Funem igitur manu prehendit porcumque cito in iter transversum egit. Hannes cura liberatus nunc anserem sub bracchio ferens patriam appetivit. »Re diligentius explorata«, secum dixit, »e mutatione animalium etiam fructum cepi: assum bonum, adeps, qui effluet – pane adipe anserino oblito tres menses vescar –, denique bellas pennas albas, quibus cervical meum farciam, etsi cunis impositus non moveor, attamen obdormiam. Mater mea toto pectore laetabitur.«

Cum per ultimum vicum transiret, in virum, qui ferramenta acuebat, incidit. Qui stabat ad suum carrum et cantabat, dum rotula placide susurrat:

»Exacuo forfices propere,
ad motus fortunae qui moveo me.«

Hannes substitit virumque spectavit. Quem his tandem verbis allocutus est: »Certe bene te habes, quia tam hilari animo forfices acuis.« Et ille: »Sane«, inquit, »artem qui sequitur, raro pauper reperitur. Quoties, cum cruminam aperit vir, qui bene ferramenta cote acuit, pecuniam in ea repe-

rit. Sed ubi bellum anserem emisti?« – »Quem minime emi. Porco commutavi.« – »Et porcum?« – »Vacca commutavi.« – »Et vaccam?« – »Equo commutavi.« – »Et equum?« – »Quem auri massa capite meo maiore mutavi.« – »Et aurum?« – »Em, aurum accepi quod septem annos domino operam utilem navavi.« – »Rem semper expedivisti«, acuminator respondit. »Si tibi contingit, ut mane surgendo nummos in marsupio sonare audias, rebus tuis consulueris.« – »Quomodo vis hoc faciam?« Hannes rogavit. »Acuminatorem te fieri oportet. Tibi nihilo nisi cote opus est, cetera sua sponte fiunt. Ecce una! In hac paulum quidem vitium inest, sed nihil aliud nisi anserem eius loco mihi dare debes. Rectumne?« – Cui Hannes: »Quaestio supervacanea est«, inquit, »homo orbis terrarum felicissimus fiam. Si marsupium meum semper pecunia plenum est, vitam curis vacuam agere possum.« Anserem ei dedit et cotem accepit. »Ecce!« acuminator inquit solitum saxum grave, quod iuxta eum iacebat, sublevans: »Hic tibi etiam saxum ad pulsandum maxime idoneum, quo clavi curvi recti fieri possint. Quod accipe atque bene conserva.«

Hannes saxum carro imposuit animoque hilari processit. Oculi eius gaudio lucebant. »Fortuna secunda utor«, exclamavit, »omnia, quae desidero, fiunt. Terrae filius vere sum, fortuna me extulit.« Interea, cum ex prima luce in itinere fuisset, fatigari coepit. Qui et fame urgebatur, quia vaccae parvo emptae causa laetitia effusus penum simul consumpserat. Multo labore procedens perpetuo consistere debuit, saxis gravibus nimium tergum urentibus. Inde laterum non ferendorum consilium ei natum est. Cochleae more tarde procedens ad puteum venit, ut ibi quiesceret potuque frigido delectaretur. Ne saxa autem considendo

laederet, ea caute in puteal iuxta se deposuit. Quo facto ad aquam bibendam se demisit, sed inconsiderate puteale aliquantillum offendit duoque saxa in puteum inciderunt. Cum Hannes ea decidentia oculis cerneret, gaudio exsiluit, tum in genua procubuit Deoque cum lacrimis gratias egit, quod et hoc beneficium ei dederat eumque saxis, quae impedimento erant, ingeniose liberaverat, quin sibi crimini dare deberet. »Nusquam gentium«, clamavit, »homo me felicior invenitur!« Bono animo omnique onere liberatus currendo processit, donec domi apud matrem esset.

8 De Lupo septemque capellis apologus

Olim erat capra grandis natu. Haec septem capellas habebat, quas amabat ut mater amat liberos suos. Quondam in silvam pabulatum itura septem capellas advocavit et dixit: »Cari liberuli, silvam appetitura sum. Cavete lupum. Si eum intromittetis, vos omnes plane absumet. Improbus saepe ovem simulat, sed voce aspera pedibusque nigris eum noscitabitis.« Et capellae: »Cara mater«, inquiunt, »lupum cavebimus. Noli laborare. Bono animo discede.« Vetula mutivit beneque sperans iter ingressa est.

Iam brevi post aliquis ianuam pulsavit et clamavit: »Aperite, liberuli, mater vestra adest, quae unicuique vestrum bellum donum attulit!« Ex voce aspera autem capellae lupum cognoverunt. Quae: »Ianuam non patefaciemus«, clamaverunt, »tu minime mater nostra es. Quae enim vocem tenuem et dulcem habet. Vox tua aspera. Tu lupus es!« Lupus tabernarium convenit cretamque emit – qua edenda vocem suam tenuem reddidit. Tum rediit, ianuam pulsavit, clamavit: »Aperite, liberuli, mater vestra adest, quae unicuique vestrum bellum donum attulit!« Sed lupus pedem nigrum in fenestra posuerat, quod capellae viderunt. »Ianuam non patefaciemus«, clamaverunt, »matri nostrae nullo pacto pedes nigri sunt. Tu lupus es!« Lupus pistorem convenit et »Pedem meum offendi«, inquit, »pulticula subacta obline eum.« Postquam pistor pedem oblevit, molitorem adiit et: »Pedem farina alba consperge«, inquit. Quod molitor recusavit secum cogitans: Lupus certe aliquem fraude temptaturus est. Sed lupus: »Nisi facis quod tibi dixi, te absumam.« Molitor metu commotus pedem eius farina alba oblevit. Ita homines se habent.

Nunc lupus nequam tertio ianuam appetivit, eam pulsavit, dixit: »Ianuam aperite, liberuli, bona matercula vestra domum rediit, unicuique vestrum e silva bellum donum attulit!« Tum capellae: »Primum pedem tuum nobis monstra, ut videre possimus te re vera nostram caram materculam esse!« Lupus pedem in fenestra posuit. Cum pedem album viderent, putaverunt omnia, quae dixit, vera esse foresque patefecerunt. Et lupus in casam irruit. Perterritae sunt seque abdere voluerunt. Prima sub mensam saluit, altera in lectum, tertia in fornacem, quarta in culinam, quinta in armadium, sexta sub aqualem, septima in capsam horologii parieti affixiam. Lupus omnes autem investigavit et haud cunctanter unam post aliam devoravit praeter minimam natu in capsa horologii occultam, quam non repperit. Cum lupus famem explevisset, se amolitus est, in prato viridi sub arbore corpus prostravit, obdormivit.

Non multo post capra mater e silva domum rediit. O quem adspectum horridum! Ianua latissime patebat – mensae, sellae, scamna: omnia subversa erant; aqualis fractus erat, opertorium pulvinique ante lectum humi iacebant. Filiolas suas quaerebat, sed nusquam reperiri poterant. Aliam post aliam nominatim citavit, nulla autem respondit. Cum demum nomen minimae natu vocaret, vox tenuis clamavit: »Cara mamma, in capsa horologii abdita sum.« A matre e capsa extracta narravit lupum venisse omnesque ceteras voravisse. Mente certe matrem nunc fingere potestis miseras filiolas deflentem.

Postremo maerore confecta cum capella minima natu foras iit. Cum ad pratum adveniret, lupus sub arbore iacebat et tantopere stertebat, ut rami tremerent. Ex omnibus partibus oculis eum perlustrabat. Repente in ventre pleno nes-

cio quid moveri et palpitare conspexit. Deus bone, secum cogitavit, mei liberuli miserandi, quos cibo vespertino devoravit, forsitan supersunt. Capellam domum redire iussit, ut forficem, acum, fila linea duplicata peteret. Tum monstro popam insecuit. Vix incisuram fecerat, cum capella iam capitulum eiecit. Cum insecare pergeret, sex reliquae alia post aliam exsiluerunt. Ad unam omnes salvae erant. Ne damnum quidem acceperant, quod belua eas totas devoraverat. Laetitia elatae bonam materculam amplexatae et osculatae sunt et saluerunt ut vestificus sollemnia nuptiarum celebrans. Quibus capra mater: »Nunc saxa collectum ite«, inquit, »ut impiae bestiae ventrem expleamus quamdiu sopita est.« Capellae septem festinanter quam plurima saxa portare possent attulerunt, quibus ventrem lupi impleverunt. Lupo imprudente anus ventrem incredibili velocitate obsuit. Qui ne se quidem movit.

Postquam lupus satis dormivit, in pedes se coniecit. Cum saxa, quae qui ventri inerant, magnam sitim incitarent, ad puteum potatum ire voluit. Cum autem procedere et commeare inciperet, saxa in ventro colliserunt fragoremque ediderunt. Tum lupus:

»Quid strepitum edit in stomacho meo?
Six insunt capellae aut saxa in eo?«

Cum ad puteum adveniret et corpus bibendi causa inclinaret, saxa gravia eum intro traxerunt, et miserandum in modum in aqua periit. Cum capellae hoc viderent, advolaverunt et: »Lupus est mortuus! Lupus est mortuus!« conclamaverunt et laetitia perfusae cum matre sua circum puteum saltaverunt.

9 De Mamma Nivali apologus

Vidua duas filias habebat, quarum una bella et sedula, altera foeda et pigra erat. Cui autem filia foeda et pigra, quia naturalis, multo gratior erat. Privignae ut Cinerella tractatae omnes labores suscipiendi erant. Noverca miserandam puellam cottidie in via ad puteum sedentem tantam lanam tractare iubebat, ut sanguis e digitis efflueret. Accidit, ut tubulus omnino cruore respersus esset. Cum ad cruorem abluendum corpus super puteum inclinaret, tubulus ei e mano elapsus est et in eum decidit. Flevit, ad novercam cucurrit, ei narravit quo incommodo affecta erat. Quae his verbis puellam vituperavit et sine misericordia ignominia affecit: »Tubulus e manibus tibi excidit? Fac eum expromas.« Puella ad puteum rediit plane nesciens quid sibi faciendum esset. Angore confecta in puteum insiluit, ut tubulum expromeret. A sensu mentis abstracta est. Cum ad sanitatem rediret, in bello prato erat, ubi sol se fundebat et mille flores lucebant. Quo in prato ire perrexit. Ad furnum pervenit, qui pane repletus erat. Panis autem eam imploravit: »Extrahe me, extrahe me, ne comburar – iam diu coctus sum.« Puella furnum adiit palaque panem exprompsit. Quo facto longius progressa est. Ad arborem malis plenam delata est, quae eam inclamavit: »Quassa me, quate me, omnia mala mea matura sunt.« Puella arborem quassavit magnaque vis malorum decidit. Quassavit dum omnia mala depluerant. Postquam ea cumulavit, iter perrexit. Postremo ad casellam pervenit, cuius anus per fenestram prospiciebat. Cum illa autem dentes nimis magnos haberet, in timorem pervenit et aufugere voluit. Anus autem eam voce prosecuta est: »Ne timueris, parvula, mane mecum. Si omnia opera domestica

recte facies, bene te habebis. Acriter animum attende ad meum lectum bene seduloque sternendum et excutendum, ut plumae circumvolitent et nives in terram decidant. Ego enim Mamma Nivalis.« Cum anus eam tam blande alloqueretur, puella animum suum confirmavit, condicionem accepit, Mammae Nivali operam suam locavit. Vetula approbante omnes labores expediebat lectumque semper bene excutiebat, ut plumae nivium plumearum instar ultro citroque volitarent. Qua de causa iucundam vitam cum anu agebat, ignominias non accipiebat, cottidie elixa et assata edebat. Postquam aliquamdiu apud Mammam Nivalem vixit, tristitia quadam affecta est, cuius causam principio nesciebat. Denique sentivit se desiderio domus laborare. Ut hic multo melius se haberet quam domi, tamen desiderio patrii soli tenebatur. Postremo anui: »Desiderio domus affecta sum« inquit. »Ut quam optime me hic habeam, tamen diutius manere non possum, ad meos redire desidero.« Et Mamma Nivalis: »Gaudeo«, inquit, »te domum redire velle. Cum mihi ancilla fidissima fuisses, te ego ipsa sursum ducam.« Deinde manu eam ad magnam portam duxit. Porta patefacta est. Cum puella commodum sub ea staret, magna vis aquae aureae delapsa est. Aurum corpori eius adhaesit et eam plane contexit. »Hoc tibi dono do, quod tam sedula fuisti«, Mamma Nivalis dixit. Quae ei et tubulum dedit, qui in puteum inciderat. Tum porta obserata est puellaque sursum in terra erat haud procul ab domu matris. Cum aream intraret, gallus in puteale insidens cecinit:

»Ci-ce-ri-ci, ci-ce-ri-ca,
revenit virgo aurea.«

In domum intravit. Cum tota auro contecta revenisset, benigno vultu a noverca et a sorore ex ea suscepta excepta est.

Puella omnia, quae cognoverat, narravit. Cum mater audiret, quomodo in possessionem divitiarum venisset, alteri filiae deformi inertique eandem fortunam comparare voluit. Quam igitur ad puteum considere et nere iussit. Ut tubulus cruentus fieret, digitum acu pupugit manumque vepribus inseruit. Tum tubulum in puteum iniecit et ipsa in eum insiluit. Ut altera filia ad bellum pratum pervenit et in eadem via ire perrexit. Cum ad furnum perveniret, panis rursus clamavit: »Extrahe me, extrahe me, ne comburar – iam diu coctus sum.« Ignava autem respondit: »Nolo fuligine inquinari« et abiit. Mox ad malum pervenit, qui clamavit: »Quassa me, quate me, omnia mala mea matura sunt.« Haec autem: »Plane deliras!« respondit, »Fieri potest, ut unum eorum in caput mihi cadat.« Tum progressa est. Cum ad casam Mammae Nivalis perveniret, non timuit, quia de eius magnis dentibus certior iam facta erat. Statim operam suam ei locavit. Primo die non potuit quin seduliter laboraret. Dictis Mammae Nivalis obtemperavit, nam magnae copiae pecuniae memor erat, quae dono ei daretur. Secundo die iam ignaviae se dare coepit. Tertio die socordiae et inertiae magis etiam se tradidit. Mane etiam e lecto surgere recusavit. Neque ut decet lectum Mammae Nivalis stravit neque alacriter excussit, ut plumae circumvolitarent. Cum Mammam Nivalem fugae laboris pigeret, puellam missam fecit. Caro desidiosa contenta fuit, nam putabat pluviam auream mox deiectum iri. Mamma Nivalis et eam ad portam duxit. Cum autem sub ea staret, loco auri aënum picis effusum est. Tum Mamma Nivalis: »Meritum praemium laboris tui nunc accipis«, inquit portamque obseravit. Filia deses pice tecta domum revenit. Cum gallus in puteale insidens eam conspiceret, cecinit:

»Ci-ce-ri-ci, ci-ce-ri-ca,
revenit virgo picea.«

Pix autem cuti eius in perpetuum adhaerebat, numquam remittebat.

10 De vestificulo animoso apologus

Mane aestivo vestificulus in mensa sua ad fenestram posita sedebat. Qui bene affectus omnibus viribus atque opibus suebat. Rustica, quae viam descendebat, clamabat: »Bonum ius pomarium venale! Bonum ius pomarium venale!« Haec verba auribus percepta iucundissime sonabant. Vestificulus per fenestram perspexit et clamavit: »Sursum adscende, bona femina, hic mercem tuam vendere potes.« Tribus gradibus scalarum ascensis femina vestificum convenit gravi canistro onerata, e quo aliam post aliam ollas ante oculos viri prompsit. Qui omnes perlustravit, sursum sustulit, olfecit, hoc dixit: »Ius pomarium bonum esse videtur. Pensa mihi quattuor semuncias, bona femina. Ut quadrans sit, tamen non tanti est.« Femina, quae speraverat se plura vendere posse, optata ei dedit. Indignabunda atque morosa autem abiit. Sed vestificulus: »Deus ius pomarium benedicat«, inquit, »ut vim roboremque mihi tribuat.« His verbis panem ex armario deprompsit, in duas partes divisit, quarum unam iure perunxit. Tum: »Dulci sapore erit«, inquit, »priusquam autem frustum sumam, thoracem laneum perficiam.« Panem iuxta se posuit, suere perrexit, gaudio perfusus ictus magis magisque longos fecit. Interea odor iuris in parietem ascenderat, quod ingentem vim muscarum allexit, quae gregatim consederunt. »Quis vos invitavit?« vestificulus quaesivit convivasque non invocatos fugavit. Muscas autem, quae linguam Theodiscam non intellegebant, minime propulsare potuit. Quarum plures pluresque iterum atque iterum revenerunt. Vestificulo bilis commota est. E capsa pannum exprompsit, quo immisericors muscas ferivit. »Hoc vobis non im-

pune abibit!« clamavit. Cum pannum relevaret muscasque recenseret, septem earum mortuas pedes sursum tendentes vidit. »Vir vere valens sum«, secum cogitavit fortitudinem suam admirans. »Tota urbs de hoc facinore forti ac memorabili certior fiat!« Vestificulus praepropere cingulum sibi confecit, quod acu verbis magnis litteris scriptis »Septem uno ictu« ornavit. – »Totane urbs? Nugas!«, secum dixit, »Totus orbis terrarum certior fiat!« Et cor eius gaudio vacillavit velut caudula oviculae.

Vestificus cingulum corpori circumligavit. Mundum peracturus officinam suam fortitudine sua indignam esse putatbat. Priusquam profectus est casam pervestigavit. Fortasse reperiret aliquid, quod secum ducere posset. Nihil autem repperit nisi caseum rancidum, quem in bursam condidit. Ante portam avem in dumo haerentem conspexit, quae in bursa servata caseo comitem se adiunxit. Tum pleno gradu iter perrexit. Cum levis et agilis esset, lassitudine se confici non sentiebat. Via acclivis erat. Cum ad summum montem pervenisset, ingentem gigantem ibi sedentem placideque circumspicientem oculis crevit. Quem vestificulus animo fidenti adiit hisque verbis allocutus est: »Salve, amice! Certe hic sedes ad vastum orbem terrarum contemplandum. Illuc iter facturus sum ad animosum me praestandum. Mene comitari vis?« Gigas vestificulum contemptim despexit et »Te hominem perditum! Te verberonem improbum!« inquit. – »Ain' tu!« vestificulus respondit, malleolos vestimenti aperuit, giganti cingulum monstravit. »Hic legere potes cuius farinae ego factus sum.« Gigas legit: »Septem uno solo ictu«. Quae verba gigantem in reverentiam inclinaverunt. Putavit vestificum septem homines cecidisse. Quem autem primum experiri et tempta-

re voluit. Saxum dextra sumpsit et compressit, ut quinque aquae guttae ex eo exstillarent. Tum vestificulo: »Hac in re me imitare«, inquit, »si viribus vales.« – Et vestificulus: »Nihilne amplius?«, inquit. »Hoc perfacillimum!« Quo dicto manum in bursam inseruit, caseum mollem exprompsit, quem verbis »Credo hoc paululo melius fuisse« compressit, ut sucus efflueret. Lingua gigantem defecit. Quod viderat credere non potuit. Tum saxum sustulit sursumque iecit, ut oculis haud cerni posset et »Hac in re me imitare«, inquit, »anaticula ridicula!« – »Bene iactavisti«, vestificus dixit, »sed saxum sine ullo dubio in terram deciderit. Ego saxum iactabo, quod numquam reveniet.« Quo dicto manum in bursam inseruit, avem exprompsit, sursum iecit. Avis libertate sua laetans sublimem abiit, evolavit, non revenit. »Quid tibi de hoc videtur, amice?« vestificus gigantem interrogavit. Et ille: »Saxa iacere haud dubie potes« inquit, »nunc autem experiamur si et magnum pondus portare potes.« Vestificulum ad ingentem quercum caesam humi iacentem duxit et: »Si vere viribus vales«, inquit, »iuva me ad arborem e silva efferendam.« – »Libenti animo te iuvabo«, homuncio respondit. »Tu truncum umeris portabis, ego ramos et frondes portabo, quod difficilius est.« Gigas truncum in umeros extulit, vestificus in ramo consedit. Giganti, qui respicere non poterat, totius arboris vestificulique pondus portandum erat. In extrema arbore sedens vestificus bene affectus et hilariter cantiunculam »Vestifici equo evecti sunt tres« sibilando exprimebat, quasi arborem portare res facillima esset. Postquam gigas sarcinam gravem aliquantum viae traxit, iter pergere noniam potuit. Qui vestifico: »Audi, arbor mihi deicienda est.« Vestificus agiliter desiluit, ambabus manibus arborem prehendit qua-

si eam portavisset, giganti dixit: »Tu eximiae magnitudinis. Tamen ne arborem quidem portare potes.«

Iter una perrexerunt. Cum cerasum praeterirent, gigas cacumen arboris, quod fructibus maturissimis onustum erat, manibus prehendit, deorsum flexit, manui vestificuli tradidit, homuncionem fructus comedere iussit. Vestificulus autem nimis imbecillus erat ad arborem manu retinendam. Cum gigas cacumen intentum e manibus dimitteret, arbor una cum vestifico sublime rapta est. Et gigas, postquam ille salvus decidit: »Erubesce«, inquit, »tibine non satis vis ad tenuem virgam retenendam?« – »Vi minime careo«, vestificulus inquit. »An putas tu re vera virum, qui septem uno solo ictu cecidit, hoc non posse? Arborem transilui, quod venatores ibi sunt, qui globos igniferos in dumeta mittunt. Saltu me sequere, si vales.« Gigas periculum arborem transiliendi fecit, sed arborem transilire non potuit. In ramis haesit. Itaque et hac in re vestificulus praevaluit.

Gigas vestificulo: »Si tam animosus es«, inquit, »i mecum in speluncam nostram et pernocta apud nos.« Vestificulus consensit gigantemque secutus est. Cum ad speluncam pervenirent, complures gigantes ad ignem sedere vidit, quorum quisque ovem assatam in manu tenebat et comedebat. Vestificulus circumspexit et secum cogitavit: Spelunca multo spatiosior quam officina mea est. Gigas lectum ei assignavit. Vestificulum in illo se imponere quieteque satiari iussit. Lectus erat eximiae magnitudinis staturaeque brevitati vestificuli haud aptus, qua de re non se in eo imposuit sed in angulum se abdidit. Cum media nocte gigas opinaretur vestificulum somno sepultum esse, e lecto surrexit, perticam ferream prehendit, lectum uno ictu

perfregit putans se nanum e medio sustulisse. Multo mane gigantes vestificuli plane immemores silvam appetiverunt. Subito apparuit hilariter et audacter badissans. Gigantes cohorruerunt. Timuerunt, ne eos omnes effligeret et praecipites aufugerunt.

Vestificulus semper in directum ire perrexit. Postquam diu commeavit, ad aulam domus regiae pervenit. Cum fatigatus esset, in herba recubuit et obdormivit. Dum in ea iacet, homines venerunt, undique eum lustraverunt, verba cingulo incisa »Septem uno solo ictu« legebant. »Quid«, inquiunt, »vir ille bello clarus in pace hic agit? Dominus multipotens esse videtur.« Regi rem nuntiatum ierunt. Vestificum in bello virum utilem magnique ponderis esse arbitrabantur, qui a proficiscendo per aequa et iniqua prohibendus erat. Regi consilium gratissimum erat. Qui aulicum vestificulum adire iussit, ut e somno surrecto persuaderet, ut pro regno militiam faceret. Legatus exspectavit, ut dormitor oculos aperiret. Tum rogationem protulit. »Ea ipsa de causa huc veni«, vestificus respondit, »paratus sum ad partes regis sequendas.« Honorifice excepto domicilium singulare assignatum est.

Milites autem, qui vestificulum timebant, voluissent eum mille milia passuum remotum esse. »Quid fiat de nobis?« inter se dicebant. »Si in certamen cum eo descendemus, uno solo ictu septem nostrum prosternet. Nos eum minime aequamus.« Igitur ad unum omnes decreverunt regem adire et petere ab eo, ut militia eos solveret. »Nos non sumus huius farinae, ut viro conferre nos possimus, qui septem uno ictu caedere possit.« Regi molestum erat, quod propter unum virum omnes pedisequos perderet. Voluisset oculos suos eum, quem libentissimo animo absolveret,

numquam vidisse. Cui autem missionem dare non ausus est, quod timebat ne ille regnum appetens eum ipsum totumque populum occideret. Diu deliberavit, denique bonum consilium in mentem ei venit. Legatum ad vestificulum misit ad hanc condicionem ei, viro in bello tam fortissimo, ferendam: In silva regni eius duo gigantes habitabant, qui raptando, caedendo, omnia ferro ignique vastando magnam calamitatem inferebant. Qui ad eos propius accedebat, capitis periculum adibat. Si duo monstra vinceret et necaret, filiam unicam ei nuptum dimidiumque regni in dotem daret. Praeterea centum equites eum comitarentur et a gigantibus defenderent. »Hoc virum meae farinae decet«, vestificulus secum cogitabat, »regis filia regnique dimidium perquam raro dono offeruntur.« Tum regi: »Fiat!«, inquit, »gigantes domabo nec centum equitibus mihi opus est – nihil est, quod extimescat, qui septem uno solo ictu caedit.«

Vestificulus cum centum equitibus profectus est. Cum ad marginem silvae perveniret, comitibus dixit: »Remanete hic, rem gigantum solus expediam.« Quo dicto citato gradu huc et illuc circumspectans in silvam penetravit. Brevi post ambos gigantes conspexit – sub arbore iacebant et toto pectore somnum proflabant, ut rami curvarentur. Vestificulus sine mora bursam silicibus implevit et arborem ascendit. Media in arbore ramum recta supra capita dormientium rependo appetivit silicesque alium post alium in pectus unius gigantis deiecit. Diu gigas nihil sensit, sed demum expergefactus est, sodalem ferivit, dixit: »Quare me pellis?« – Et alter: »Deliras! Minime te pello.« Denuo somnum ceperunt. Vestificus lapidem in alterum deiecit. Qui indignatus: »Quid hoc sibi vult?«, clamavit, »Cur silices in me

conicis?« – Et ille iratus: »Minime conicio!« Aliquamdiu litigaverunt. Cum autem fatigati essent, rixam desierunt et denuo somnum ceperunt. Quos vestificulus autem de integro lusit. Silicem maximum elegit, quem primo giganti summa vi in pectus iactavit. Qui nunc »modum excessisti!«, clamavit, quasi mente captus prosiluit, socium arbori ingenti impetu impegit, ut illa vacillaret. Alter par pari rettulit. Tantopere furore incensi sunt, ut arbores evellerent, alter alterum verberibus caederet, tamdiu dum demum ambo mortui prociderunt. Nunc vestificulus de arbore desiluit. Qui: »Forte fortuna arborem, in quo insidebam, non eradicaverunt«, inquit. »Si eam eradicavissent, sciuri more in aliam mihi insiliendum fuisset.« Tum gladium destrinxit, pectori utriuslibet nonnullas plagas graves inflixit, equites adiit, haec dixit: »Labor actus est. Utrumque e medio sustuli. Acriter autem pugnatum est. Necessitate coacti gigantes arbores evellerunt et vim vi propulsaverunt, sed frustra laborat, qui viro meae farinae, qui septem uno solo ictu caedo, obstat.« – »Tu non vulneratus es?« equites e vestifico quaesiverunt. Et ille: »Omnia bene evenerunt. Ne digito quidem me attigerunt.« Viri, qui fidem ei non habebant, in silvam equo invecti sunt. Viderunt gigantes cruore respersos et arbores evulsas circum iacentes.

Vestificulus exegit, ut praemio a rege promisso afficeretur. Quem autem promissi paenituit et de integro deliberavit quomodo heroem a se amoliri posset. »Priusquam tibi filiam meam nuptum dimidiumque regni dabo, tibi iterum facinus forte ac memorabile gerendum erit. In silva equus unicornis vagatur, qui magnum damnum mihi infert. Qui tibi prius capiendus.« – Et vestificulus: »Monocerotem«, inquit, »multo minus quidem timeo quam duos gigantes.

Septem uno solo ictu, hoc meum est.« – Securim et funem secum ferens, silvam appetivit, equites eum comitantes extra remanere iussit. Mora ab unicornu non facta est. Iam brevi accucurrit et in vestificum invasit quasi missis ambagibus eum cornu configere cogitaret. Sed vestificus: »Festina lente«, inquit, »ne praecipitaveris.« Constitit et impetum imminentem monocerotis excepit. Tum agiliter post arborem cucurrit. Equus unicornis in arborem irruit cornumque tanta vi in truncum terebravit, ut ad id educendum vires eum deficerent. »Nunc avicula capta est« vestificus dixit, e postica parte arboris provenit, faucibus monocerotis funem circumligavit. Tum securi cornum ex arbore excidit. Omnibus actis et perfectis bestiam abduxit et regi mandavit.

Rex praemium promissum etiamnunc tribuere noluit et ab eo exegit, ut tertiam rem magnam gereret. Venatoribus adiuvantibus ante matrimonium aper ei captandus erat, qui magnum damnum in silva faciebat. Et vestificus: »Libenti animo«, inquit, »hoc perfacillimum est.« Venatores non secum in silvam duxit, quod eis placebat, nam aper eos iam saepius ita usserat, ut ex eo venando minime voluptatem exciperent. Cum aper vestificum conspiceret, summo furore abreptus atque dentibus restrictis ad eum accurrit, ut eum humi prosterneret. Heros autem aufugit et in oratorium, quod prope erat, incurrit et uno saltu e fenestra foras prosiluit. Porcus eum secutus erat. Qui autem foris circumsiluit foremque a tergo eius violenter clausit. Bestia capta vasto corpore et nimis gravis erat, ut e fenestra exsilire posset. Vestificulus venatores arcessivit, ut captivum suis ipsis oculis viderent. Heros autem regem convenit, cui nolenti volenti nunc promissum servandum erat et qui ei

filiam et dimidium regni tradidit. Si scivisset virum non heroëm sed vestificulum esse, aversiore quidem animo ab eo fuisset. Rebus ita stantibus sollemnia nuptiarum magna cum magnificentia paucaque laetitia celebrata sunt. Vestificulus rex factus est.

Intermisso spatio adulescens regia nocte maritum per somnium haec loquentem audivit: »Age, puer, thoracem laneum texe bracasque sarci, aliter ulna tractim te tangam.« Cognovit, qua »nobili« genere iuvenis ortus esset. Mane postridie apud patrem questa est. Quem rogavit, ut eam a viro liberaret, qui nihil aliud nisi vestificus erat. Rex eam his verbis consolavit: »Nocte proxima dormitorium tuum noli obserare. Servi mei ante portam erunt. Qui in cubile intrabunt, somno sepultum vincient, in navem altum appetituram imponent.« Quod a femina comprobatum est. Sed regis armiger, qui omnia audiverat, iuveni favebat et fraudem cogitatam ei detulit. »Insidias reprimam«, vestificulus dixit. Vesperi tempore usitato cum marita cubitum iit. Quae, cum putaret eum obdormivisse, exsurrexit, fores aperuit, lectum repetivit. Vestificulus, qui se somno sepultum esse simulabat, clara voce clamare coepit: »Age, puer, thoracem laneum texe bracasque sarci, aliter ulna tractim te tangam. Septem uno solo ictu cecidi, duos gigantes necavi, equum unicornem abduxi, aprum cepi: Curnam terrarum istos ante portam stantes timeam!?« Cum armigeri verba vestifici audirent, magno metu affecti sunt. Aufugerunt quasi exercitus saevissimus eos persequeretur neque quisquam ei iniuriam inferre audebat. Itaque vestificulus per totam vitam rex erat et manebat.

11 De Rumpelstiltulo apologus

Olim molinarius vivebat. Qui pauper erat, sed pulchram filiam habebat. Quondam factum est, ut se in sermonem regis dederit. Ad auctoritatem sibi comparandam: »Mihi«, inquit, »filia est, quae ex stramento aurum nere potest.« Cui rex: »Haec mihi gratissima est ars. Si filia tua huius rei tam perita est ut dicis, adduc eam in regiam meam, ut experiri et temptare eam possim.« Cum puella ad regiam adveniret, in cellam stramento completam eam duxit, rhombum et suculam ei dedit, hoc dixit: »Nunc ad opus aggredere. Nisi usque ad mane e hoc stramento aurum neveris, morte multaberis.« Quo dicto ipse cellam clausit puellaque sola remansit.

Miseranda molitoris filia nunc in cella sedebat in vitae periculum adducta. Plane nesciebat quomodo e stramento aurum fieret. Timor eius in dies magis magisque crescebat. Flere coepit. Eo ipso puncto temporis porta patefacta est. Homullus intravit et dixit: »Salve, molitoris filia, curnam tantopere lacrimas?« – Et puella: »Eheu, mihi aurum e stramento nendum est, cuius artis autem ego plane inscia sum.« Cui homuncio: »Quid mihi dabis, si ego aurum tibi nebo?« – »Monile meum«, puella inquit. Homuncio ante rhombum assedit et puncto temporis tubulus plenus erat. Deinde alium rhombo infixit et puncto temporis et secundus plenus erat. Ita perrexit et primo mane omne stramentum netum erat et omnes tubuli auri pleni erant. Sole oriente rex venit. Cum aurum conspiceret, stupuit et gavisus est, sed cor eius auri sacra fame premebatur. Molitoris filiam in aliam multo maiorem cellam stramento impletam duci iussit. Quod ipsum quoque una nocte nere ei imperavit nisi vitae pertaesa esset. Puella rem expedire nesciebat et

flebat, cum porta patefacta est et homuncio iterum apparuit et dixit: »Quid mihi dabis, si ego aurum tibi nebo?« – »Anulum, quem in digito habeo«, puella respondit. Homuncio anulum sumpsit, rhombo laborare iterum coepit, primo mane ex omni stramento aurum nitens neverat. Rex, cum aurum conspiceret, praeter modum gavisus est, sed auri sacra fame pressus molitoris filiam in aliam multo quidem maiorem cellam stramento impletam duci iussit et: »Et e hoc strumento tibi hac nocte aurum faciendumst. Si tibi continget, in matrimonium te collocabo.« – Ut haec sit molitoris filia, secum cogitavit, tamen divitiorem quam eam toto in orbe terrarum non inveniam. Cum puella sola esset, homuncio tertium venit et dixit: »Quid mihi dabis, si et nunc quidem stramentum nebo?« – »Nil amplius habeo quod tibi dare possem«, puella respondit. »Sponde mihi, cum regina facta eris, infantem tuum primum genitum.« Et molitoris filia: »In posterum prospicere nequeo.« Necessitate coacta aliam viam salutis non invenit. Homullo omnia, quae ab ea postulabat, factum iri promisit. Qua re et tertium e stramento aurum nevit. Cum mane rex veniret et omnia cum magna sua voluptate facta videret, uxorem eam duxit, et bella molitoris filia regina facta est.

Anno post pulchrum infantem peperit. Homuncionis noniam recordabatur, cum subito in cubiculum eius intravit et dixit: »Nunc mihi da quod promisisti.« Regina cohorruit. Homuncioni omnes opes regni promisit nisi infantem ei auferret. Cui autem homullus: »Immo non!« inquit. »Animans mihi gratior omnibus divitiis huius mundi est.« Cum hoc audiret, regina tantopere lamentari et flere coepit, ut homuncionem eius misereret. »Si tribus diebus nomen meum sciveris,« inquit, »infantem tibi tecum habere licebit.«

Regina totam per noctem omnia nomina, quae usquam audiverat, recordata est nuntiumque per regnum misit, ut late longeque percontaretur, quae alia nomina invenirentur. Cum proximo mane homullus veniret, Casparum, Melchiorem, Balthasarem et cetera nomina, quae sciebat, per ordinem numeravit. Homuncio autem semper respondit: »Ita minime vocor.« Altero die nuntium ubique in vicinia homines quaerere et percontari iussit, quae nomina haberent. Homuncioni insolitissima mirissimaque nomina dixit: »Tibine fortasse nomen Costabestia, Vervicisura, Pesconsertus?« Sed semper respondit: »Ita minime vocor.« Tertio die nuntius revenit et dixit: »Nullum nomen recens inveni. Cum autem monti alto appropinquarem et viam silvaticam flecterem, in loco remotissimo casellam conspexi, ante quam ignis tremula flamma ardebat, et quam homunculus catagelasimus uno pede circumsiluebat et clamabat:

›Hodie coquam, cras coquam,
perendie reginae infantem arcessam.
Rumpelstiltus nomen mi,
sed hoc notumst nemini.‹«

Cum nomen articulatum audiret, regina gavisa est, quod facile intellectu. Homullus paulo post intravit et »Age, regina, quid est nomen mihi?« inquit. Quae primum: »Tibine nomen Cuntius?« – »Non ita.« – »Henriculusne appellaris?« – »Nihil sane.«

»Tene forsitan Rumpelstiltulum vocant?«

»Hoc diabolus tibi dixit«, homullus exclamavit et pede dextro ira ardens tanta vi terram perfodit, ut usque ad coxam in ea inhaereret. Tum furore incensus pedem sinistrum ambobus manibus corripuit seque ipse in duas partes scidit.

12 De Bremae civitatis musicis apologus

Vir asinum habebat, qui iam multos per annos impigre saccos ad molas portaverat cuiusque nunc autem vires decrescebant, quo factum est ut ad opus faciendum magis magisque inutilis fieret. Dominus secum de eo caedendo deliberabat. Asinus autem praesensit se in discrimine periclitari. Quare aufugit iterque Bremam convertit. Ibi, ut secum cogitabat, musicus urbanus fieri potesset. Postquam paulisper iit, canem venaticum in via iacentem invenit. Qui anhelabat quasi usque ad defatigationem cucurrisset. E quo »Curnam, dic, tantopere anhelas, Mordacule?« asinus quaesivit. Et canis: »Eheu!«, inquit. »Dominus me caesurus erat, quod senectute confectus diem ex die debilior fio adque venandum noniam utilem sum. Re ita stante in spatium fugi. Quid autem nunc faciam ad me sustentandum?« – Cui asinus: »Scio quod facies«, inquit: »Ego Bremam eo ubi musicus urbanus fiam. Vade mecum et item ad rem musicam accede. Ego lyra canam, tu tympanum pulsabis.« Quod cani opportune accidit. Tum longius processerunt. Haud ita multo post felem convenerunt in limine sedentem, qui frontem contrahebat. Cui asinus: »Qua de causa«, inquit, »tam male affectus es, Barbuliger?« Et felis: »Tune hilaris es, si faucibus premeris? Mea domina in aquam me mergere voluit, quod annosus sum, quod dentes mei hebescunt, quod ad fornacem sedere placideque fremere mihi gratius est quam mures venari. Ad tempus quidem me proripui, sed tamen omnia consilia frigent: Quo me vertam?« – »Nobiscum Bremam i. Musicam nocturnam faciendi peritus es. Musicus urbanus fieri poteris.« Quod felis maxime probavit et una cum eis profectus est. Profugi

tres deinde fundum praeteribant, cuius in porta gallus domesticus sedebat qui omnibus nervis canebat. Cui asinus: »Clamores tui mihi ossa percutiunt«, inquit, »quid in animo habes?« – »Sudum presagivi«, gallus inquit, »quod dies est Beatae Mariae virginis, quo Christuli infantis subuculas lavavit et in sole siccavit. Cum autem crastino die solis convivae ad cenam vocati veniant, domina immiserabilis coquae dixit me in iure coctum esum hodieque caput meum praecisum iri. Qua de causa nunc altum clamorem tollo quoad potero.« – Sed asinus: »Minime vero, Rubricapitule«, inquit, »potius i nobiscum, qui Bremam imus. Morte meliora ubique invenis. Tibi bellissima vox. Concentus sonorum suprema lex.« Quod consilium gallo placuit itaque omnes una profecti sunt.

Brema civitas autem uno die capi non poterat. Vespere ad silvam pervenerunt, ubi pernoctare cogitabant. Asinus et canis sub magnam arborem procubuerunt, felis et gallus ramos appetiverunt, quorum gallus summum elegit, quod locorum omnium tutissimus erat. Priusquam obdormivit quoquoversus circumspiciebat. Putabat se procul scintillulam ardentem oculis cernere. Amicis dixit, ut e luce effici posset, ut prope casa esset. Et asinus: »Proficiscamur et ad casam adeamus«, inquit, »hic enim malo hospitio recipimur.« Canis putabat se e nonnullis ossibus et mica carnis fructum capere posse. Igitur iter eo converterunt, ubi lux lucebat, quam magis magisque clarius micantem videbant et quae magis magisque crescebat, dum ad casam praedonum clare illuminatam pervenerunt. Asinus, qui maxima statura erat, fenestrae appropinquavit et introspectavit. »Quid vides, Eque cane?« gallus ex eo quaesivit. »Quid video?« asinus respondit. »Mensam bonis epulis exstructam

praedonesque largiter se invitantes, qui eam circumsedent.« – »Quibus et nos delectaremur«, gallus inquit. Et asinus: »Ita est ut dicis. Utinam iam in casa inessemus!« Bestiae deliberaverunt quae facienda essent ad praedones expellendos. Denique sciverunt quomodo difficultas amovenda esset. Asinus pedes priores in fenestra posuit, canis in tergum asini insiluit, felis in canem scandit, postremo gallus sursum volavit felisque in capite consedit. Signo ad musicam faciendam dato una cantum inceperunt: Asinus clamabat, canis latrabat, felis iterum iterumque »miau« faciebat, gallus ci-cri-ci canebat. Tum per fenestram in conclave irruerunt, ut quadra vitrea creparent. Clamore horrido terrore percussi praedones, qui putabant larvam introvenisse, in silvam aufugerunt. Nunc quattuor sodales ad mensam assederunt cenae reliquiis contenti. Ederunt quasi quattuor hebdomades fame laborare deberent.

Epulis vespertinis finitis symphoniaci lucem exstinxerunt dormitoriumque ingenio et indoli cuiuscumque conveniens quaesiverunt. Asinus in sterculino recubuit, canis post ianuam assedit, felis in foco prope cinerem calidam, gallus in scalis gallinaceis. Cum iter longum eos defatigavisset, cito obdormiverunt. Cum media nox praeterisset praedonesque procul viderent omnes luces in casa exstinctas omniaque tranquilla esse, archipraedo dixit: »Curnam clamores pertimuimus?« Praedonem ad casam adire eamque inspicere iussit. Cum legato omnia tranquilla viderentur, ad lucem accendendam in culinam intravit. Cum felis oculos igneo colore flagrantes carbones viventes esse arbitraretur, ramentum sulphuratum ad eos admovit, ut scintillas exciperet. Felis autem iocum in seria vertit, in faciem eius insiluit, exspuit, unguibus eum laceravit. Terror ei in-

cidit, per posticum aufugere voluit. Sed canis, qui ibi iacebat, prosiluit et morsu pedem eius laesit. Cum per aulam praeter stercus transcurreret, asinus pede posteriore eum percussit. Gallus autem clamoribus e somno excitatus de scalis gallinaceis clamavit: »Ci-ci-ri-ci!« Praedator quam celerrime ad ducem suum recucurrit et »Eheu, in casa venefica horribilis est, quae me afflavit suisque longis unguibus faciem laceravit; et ante portam vir cultro armatus stat, quo pedem meum pupugit; et in aula monstrum nigrum iacet, quod clava lignea in me invasit; et in tecto iudex sedet, qui ›Affer hunc mi!‹ vociferatus est. Qua de causa citissime me abripui.« Abhinc praedones in casam intrare noniam audebant. Bremae civitatis symphoniaci autem tam bene in ea se habebant, ut in aeternum in ea manere vellent. Narratori huius fabulae animo incitato loquendo lingua etiamnunc in ore urit.